48. 1848.

DE

SPATIO ET TEMPORE

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

QUAM

PRAECIPUA ARISTOTELIS RATIONE HABITA

SCRIPSIT

GUST. RUD. WOLTER

PHILOS. DOCTOR.

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXLVIII.

MATERIAE DISPOSITIO.

PARS PRIOR.

Cap. I.

Cap. II.

PARS ALTERA.

Cap. III.

Cap. IV.

PARS PRIOR.

CAPUT I.

§. 1.

Aristotelis de spatio doctrina.

Notiones de spatio temporeque conceptae prae ceteris Aristotelis operibus in eo fere solam nactae sunt illustrationem, quod inscriptum est *φυσικὴ ἀκρόασις*. Cuius initio quidem docet, ad naturam penitus cognoscendam inchoandum esse a generibus seu universis principiis, quorum enumerat tria: materiam (*τὴν ὕλην*), formam (*τὸ εἶδος*), privationem (*τὴν στέρησιν*), vel potius, ultima ut *συμβεβηκὸς* in primam recidente, duo: materiam et formam, in quibus natura versetur; subinde quum formae insit motus principium et finis, quatuor rerum causas proponit (*τὸ εἶδος, τὴν ὕλην, τὴν ἀρχὴν τῆς κινήσεως καὶ τὸ τέλος*) ad duplicem tamen formae ac materiae revocandas. Quibus expositis postquam de fine, quem natura appetit, de motu et infinito disseruit, tandem ad spatii (*τοῦ τόπου*) excutiendam accedit naturam, quapropter ipsum iam philosophum argumentantem facimus.

Nemo est, quin fateatur, quodcunque sit, esse alicubi (*τὰ ὄντα εἶναί που*) idque solum, quod omnino non sit, nusquam existere. Tres enim exstant rationes, e quibus esse spatium planissime perspicitur. Patet

1) ex mutua corporum in eodem loco consequentia (*ἐκ*

τῆς ἀντιμεταστάσεως), quae illum diversum quiddam a corporibus [1]) esse probat, in quo haec sint et moveantur;

2) e gravium leviumque (τοῦ κούφου καὶ τῶν ἐχόντων βάρος) h. e. corporum sursum ac deorsum latorum motu naturali; hinc enim duplex petitur argumentum, et esse locum et inesse ei vim quandam, qua aut sursum corpora aut deorsum ferantur (ὅτι ἐστί τι ὁ τόπος καὶ ὅτι ἔχει τινὰ δύναμιν);

3) ex iis, quae veteres de vacuo (κενῷ) coniectabant, ut quod nihil sit nisi τόπος ἐστερημένος σώματος.

Cognito igitur, esse locum, iam ad id transit argumentatio, ut, quid sit, exponatur. Atque

1) spatium quamquam tres habet, quibus unumquodque corpus [2]) determinatur, dimensiones [3]), tamen ipsum *corpus esse nullo modo potest,* nisi duo corpora in unum coalescere vis.

2) Tantundem locus a quovis abhorret corporis receptaculo i. e. a reali praeter corpus existentia. Nam unus idemque corporis locus idem est superficiei aliorumque finium (περάτων, velut punctorum); unde sequitur, ut, quum puncti locus ipsum sit punctum, locus corporis nihil esse praeter illa πέρατα queat. Tale quid enim si statuas, necesse est locus aut elementum sit aut ex elementis vel corporeis vel intellectualibus (στοιχείοις ἀσωμάτοις, νοητοῖς) compositus, quorum utrumque prius, quum sit corporeum, in locum cadere nequit, postremum vero propter loci naturam μεγέθει constantem corruit.

3) Denique *nulla est rerum causa spatium,* quippe cui ex quatuor naturae causis nulla conveniat.

Verumenimvero si, quaecunque sunt, in loco sunt, ita ut arctissimo cum hoc vinculo cohaereant, nonne locus videtur in loco esse (ut Zeno occurrit) et crescente corpore si-

---

1) quemadmodum vas ab ea, quam continet, aqua vel aëre.

2) Cf. Phys. III, 5: σῶμα μέν ἐστι τὸ πάντῃ ἔχον διάστασιν.

3) Ibid. IV, 1: διαστήματα ἔχει τρία, μῆκος καὶ πλάτος καὶ βάθος.

mul augescere? Hinc concludit Aristoteles, non modo quid sit, sed vel utrum sit spatium, adhuc dubitari. Quocirca ut tollat istas difficultates, discrimine inter *τόπον κοινὸν* (qui universa amplectitur) et *τόπον ἴδιον* (cuiusque rei locum proprium) interposito, ea examinat refutatque, quae ad tribuendam loco vel materiam vel formam afferuntur. Videtur enim locus idem esse ac forma corporis, quia eisdem [4]) uterque terminis continetur; materia autem, quia, quod proprium est *ὕλης* [5]), quam forma amplectitur, idem in locum convenire videtur; videtur enim hic esse distantia magnitudinis (*τὸ διάστημα τοῦ μεγέθους*) infinite dividua (ut *ἡ ὕλη* s. *τὸ ἀόριστον*). Cuius sententiae primus auctor Plato exstitit, qui locum aeque ac materiam „*τὸ μεταληπτικὸν*“ s. „*μεθεκτικὸν*“ in Timaeo, in *ἀγράφοις* autem *δόγμασι* „*τὸ μεγαλὸν καὶ μικρὸν*“ esse asseruit. Atqui argumenta modo laudata habent tantum speciem nec plus quicquam veritatis. Praesto sunt enim aliquam multa, e quibus locum nec formam esse nec materiam liquet. Nam

a) neutra earum a re disiungi potest, potest autem locus, quippe in quem tanquam in vas aliquod (cui Aristoteles notionem loci mobilis, *τόπου μεταφορητοῦ*, iniicit) succedant corpora; unde non solum nec forma est nec materia locus, sed ne pars quidem habitusve corporis (*οὔτε μόριον οὔτε ἕξις*) aut quippiam omnino, quod divelli a corporibus nequeat;

b) dum porro forma materiaque cum corpore aut sursum aut deorsum moventur, locus immotus remanet, quoniam, si hic formae materiaeque instar ipsi inesset commotae rei, in loco locus foret; quo absurdius nihil menti potest informari;

c) postremum denique locus, si aut forma esset aut materia, una cum aëre in aquam commutato periret vel mutaretur, id quod a loci indole ut quod maxime abhorret.

4) Ibid. 2: *ὁ τόπος ἐστὶ τὸ πρῶτον περιέχον τῶν σωμάτων ἕκαστον* s. *πέρας τι*. Forma id est, *ᾧ ὁρίζεται τὸ μέγεθος καὶ ἡ ὕλη ἡ τοῦ μεγέθους*.

5) Ibid.: *τὸ περιεχόμενον ὑπὸ τοῦ εἴδους καὶ ὡρισμένον οἷον ὑπὸ ἐπιπέδου καὶ πέρατος*.

Quibus disceptatis antequam, quid locus sit, doceatur, octo [6]) enumerantur modi, quibus in alio quid esse potest: nimirum sicut pars in toto, ut totum in partibus, ut species in genere vel hoc in illa, ut forma in materia et efficienda res in causa movente, ut in fine et potissimum denique ut *in vase vel potius in loco.* Nonne autem in semet ipso esse aliquid potest? Quod si conceditur, aut *καθ' αὑτὸ* aut *καθ' ἕτερον* fiat necesse est. Sed per se s. *πρώτως* in alio esse aliquid non potest, potest autem ita, ut, ubi *τὸ ἐν ᾧ* et *τὸ ἐν τούτῳ* eiusdem totius partes sunt, totum esse in se ipso ponatur. Quapropter quodcunque in se ipso est, tale non est nisi secundum partem et per aliud. Idem planius fit quum inductione tum ratione subducta; nam primum nihil esse *πρώτως* in se ipso e quolibet modorum supra commemoratorum perspicimus; deinde si quid nihilo secius per se esse in se ipso posset, ambo utrumque et quod continetur et quod continet vicissim foret, id quod fieri nequit propter integram, quae intercedit, rei et definitionis diversitatem. Verum non modo *πρώτως κατὰ τὸ εἶναι* nihil in se ipso esse, sed ne *κατὰ συμβεβηκὸς* quidem potest, quoniam, hoc si sumseris, duo in eodem corpora statues. Hinc transitur ad diluendam Zenonis dubitationem; nam licet in aliquo esse locum concedamus, in primo tamen s. proprio loco non est, sed ut habitus (*ἕξις*) vel affectio (*πάθος*) in materia spatio subiecta; est enim superficies continens materiam. Compertum est ergo nobis ex hactenus disputatis, locum, utpote diversum ab eo, quod continet, nec formam esse nec materiam.

Absoluta iam, quae in tollendis dubitationibus nitebatur, capitis parte scriptor, quidnam sit locus (*τὸ τί ἐστιν ὁ τόπος*) examinat primumque perpendit ea, quae loci *ἀληθῶς καθ' αὑτὸ* propria sunt, quorum quatuor in medio ponit:

6) Aristotelem diversis his modis rem non cum pulvisculo, ut aiunt, exhausisse, iam id argumento est, quod, quomodo in tempore sit aliquid (h. e. *τὸ* esse in aliquo ut in numero sive mensura) plane praetermisit.

α) continere locum rem neque huius esse partem; β) locum primum non esse maiorem minoremve ipso corpore, cuius sit locus; γ) seiungi eum a rebus posse; et δ) superi inferique (τοῦ ἄνω καὶ κάτω) differentiis praeditum esse ita, ut naturaliter ad suum quodque corpus locum feratur vel sursum vel deorsum.

Quo posito rei fundamento, Aristoteles ad loci definitionem recte proponendam accedit, quae ita sit comparata, ut et dubitationes eximat et quae modo attributa sint loco, reapse ei inesse probet et denique quum difficultatis, qua laborat huius rei indagatio, tum dubitationum causas patefaciat. Ad quam definitionem ut sibi viam praemuniat, nonnulla de motu, quem loci et existentiam et cogitationem antecessisse ait [7]), disserit. Namque in duas eum partes distribuit, ut sit aut φορά, qua corpus, mutato loco, alium appetat, aut αὔξησις καὶ φθίσις i. e. ex parte tantum loci commutatio sive maior fit res sive minor. Quaecunque vero moventur aut καθ' αὑτὸ ἐνεργείᾳ aut κατὰ συμβεβηκὸς moventur, quorum hic rursum motus aut καθ' αὑτὸ est, ita ut possint certe ea, quae moveantur, per se moveri, aut κατὰ συμβεβηκὸς, ut non possint. Hisce insertis, iam redit Aristoteles, unde discessit. Quia enim proprius locus re nec maior existit nec minor, sed omnino ei aequalis (ἴσος ἑκάστου ὁ τόπος καὶ ἕκαστον), consequitur, *locum esse extremum continentis corporis*, quoniam, si qua res in aëre est, sic in hoc tanquam in loco suo versatur, ultima ut eam aëris pars ambeat circumscribatque (τὸ ἔσχατον καὶ περιέχον ἐν τῷ ἀέρι). Et tamen locus nulla est continua pars rei, quam continet, sed seiunctus ab hac tangensque eam arctissime [8]), ita ut sit aequalis intervallo ab ipso circumscripto:

---

7) Phys. IV, 4: πρώτως μὲν οὖν δεῖ κατανοῆσαι, ὅτι οὐκ ἂν ἐζητεῖτο ὁ τόπος, εἰ μὴ κίνησίς τις ἦν ἡ κατὰ τόπον· διὰ γὰρ τοῦτο καὶ τὸν οὐρανὸν μάλιστα οἰόμεθα ἐν τόπῳ, ὅτι αἰεὶ ἐν κινήσει.

8) διῃρημένον καὶ ἁπτόμενον = ἐν πρώτῳ τινὶ ὂν τῷ ἐσχάτῳ τοῦ περιέχοντος.

in eodem sunt enim contingentium extrema [9]). Intercedit autem hoc inter continuum contiguumque discrimen, ut illud *cum* eo (*μετ' ἐκείνου*), quocum connexum sit, moveatur tanquam pars cum toto; hoc vero *in* eo (*ἐν ἐκείνῳ*), quo contineatur tanquam in vase.

Proinde pedetentim inchoatae disceptationi insistens uberius Aristoteles pertractat quaestionem, quid tandem sit locus ex quatuor his: forma, — materia, — intervallo inter extrema (h. e. continentis superficiem) interiecto [10]), — et extremis his ipsis continentis corporis. Iam enim

1) *forma* quamquam cum loco id habet commune, ut *πέρας* sit, tamen locus non est, quandoquidem haud perinde se habet utriusque extremum. Est enim forma extremum rei ab hac non separandum, locus contra extremum continentis corporis ab eo, quod ipse complectitur, et diversum et seiungendum.

2) Porro ne *intervallo* quidem isto seu *vacuo*, quod remoto etiam corpore remaneat, constare locus potest propterea quod nullum eiusmodi exstat intervallum. Quod ita esse e pluribus licet argumentis perspicere. Nam praeterquam quod aliud semper, uno remoto, succedit corpus, infinita essent, si istiusmodi vacuum statueres intervallum, pro quolibet succedente corpore loca, quoniam unaquaeque pars suum per se haberet, sicut tota res, locum, cum corpore ad alium locum movendum [11]). At vero, si qua res movetur, huius partes non quaerunt alium locum, sed vas tantum vel am-

---

9) *ἐν γὰρ τῷ αὐτῷ τὰ ἔσχατα τῶν ἁπτομένων.*

10) *διάστημα τὸ μεταξὺ τῶν ἐσχάτων.*

11) Ex Aristotelis doctrina pars nullum habere locum potest, quum nulla circumscripta sit superficie loci. Posito autem vacuo intervallo, quod a re, quam recipit, penetretur necesse est (cf. IV, 8: *διὰ τοῦ κύβου τὸ ἴσον διάστημα* ***διεληλυθέναι*** *δόξειεν, ὅπερ ἦν καὶ πρότερον ἐν τῷ κενῷ. ὥσπερ ἂν εἰ τὸ ὕδωρ μὴ μεθίσταιτο τῷ ξυλίνῳ κύβῳ μηδ' ὁ ἀήρ, ἀλλὰ* ***πάντῃ διῄεσαν δι' αὐτοῦ***) omnes simul corporis partes et ambirentur undique et per se in loco essent numero infinitae, unde efficeretur, ut infinita proinde loca forent.

biens rem ipsam superficies, quae est pars universi loci, commutatur. Si autem vacuum existeret, locus una cum rebus earumque partibus mutaretur et mutatus alium postularet loci locum, ita ut essent multa simul loca.

3) Nec deinde *materia* locus est, quamvis utrumque et quiescere immotum et nova semper corpora recipere nec a corpore unquam separari videatur. Atenim si qua res movetur, movetur et materia continua, locus haud perinde; illa porro ut pars rei seiungi ab hac non potest, potest autem locus; postremum illa continetur, hic vero continet.

4) Expeditis iam tribus illis quartum restat vere loci proprium, unde est *extremum s. terminus continentis corporis aequalis*, *τὸ πέρας τοῦ περιέχοντος σώματος* [12]. Verumtamen hauddum nobis absoluta est disputatio ad definiendum locum instituta. Nam quum et materia formaque in spatio quasi coruscent atque introluceant (*παρεμφαίνεσθαι*), et seorsum a corporibus vacuum immotumque esse intervallum videatur, altius intrare in loci naturam par est. Dum vas una cum re movetur, locus plane immotus remanet, sicut fluvius oceanusve, quem navis pervagatur. Unde efficitur, ut *locus sit primus immobilisque terminus continentis corporis* (*τὸ τοῦ περιέχοντος πέρας ἀκίνητον πρῶτον*). Immobilitatis loci indicia sunt stabiles sursum deorsumque vergentium motuum regiones. Gravia enim ad coeli medium (i. e. ad terram) feruntur, levia ad ultimam coelestis sphaerae superficiem, quorum quum illud semper immotum sit tum haec in eadem permanet quasi directione. Quocirca locus est *ἐπίπεδόν τι καὶ οἷον ἀγγεῖον καὶ περιέχον*, superficies vasis instar continens et cum re coniuncta quodammodo, quippe quam tangat, terminet, amplectatur: *ἅμα γὰρ τῷ πεπερασμένῳ τὰ πέρατα.* Quae quum ita sint, quodcunque corpus alio finitur corpore,

12) Haec definitio magnam affert memoriam Pythagoraeorum, quorum nobis sententiam Simplicius (ad Arist. Cat. *H*, *γ*, 2.) prodidit: *οἱ δὲ Πυθαγόρειοι τὸν τόπον πέρας ἁπάντων εἶναι τῶν ὄντων φασί.*

in loco versatur, quoniam corpus, modo pars sit nulla rei, quae terminatur, huius locum amplexu suo definit; eodemmodo, quod ab alio cunque non continetur, corpus in loco non est. Itaque si aquam esse materiam spatio subiectam ponimus, possunt huius singulae quidem partes moveri ideoque in loco esse quippe se invicem continentes; totum vero neque in loco erit nec movebitur nisi partium ratione habita. Cuius generis coelum s. sphaera universa est, quae quum nullum extra se habeat corpus positum, immota in loco non versatur [13], quatenus autem singulae eius partes in orbem vel alioqui feruntur ac mutuo sese amplexu coercent, in loco est et movetur. Hinc ad novam pergitur distinctionem, ex qua continuae *τοῦ συνεχοῦς καὶ ὁμοιομεροῦς* partes in loco sint *κατὰ δύναμιν*, eae autem, quae seiunctae se tangunt solummodo, partes *κατ' ἐνέργειαν*. Quorum posterius quod attinet, rursus alia per se (*καθ' αὑτά*), alia *κατὰ συμβεβηκὸς* in loco sunt, quoniam per se illa sive loco moventur sive augescunt minuunturve, haec nisi per partes (secundum aliud) non sunt mobiles. Horum in numero quum anima refertur tum coelum, quod, quoniam alio nullo circumcingitur corpore, non ut totum consideratum, sed partium modo ratione habita in loco versatur. Coeli enim partes mutuis sese orbibus finiunt [14]) ab inferiore deinceps, quam mortales incolant, usque ad supremam eius partem. Totum igitur nusquam est coelum, sed in toto universa [15]). Neque locus e toto coelo constat, sed ex novissima tantum eius parte sive termino immobili, quo mobilia mundi corpora tanguntur et continentur [16]) ita ut sit terra in aqua, haec in aëre, aër in aethere, hic denique in ipso coelo non amplius cincto nec in loco versante.

---

13) *ὡς μὲν γὰρ ὅλον ἅμα τὸν τόπον οὐ μεταβάλλει.*

14) *τὰ γὰρ μόρια ἐν τόπῳ πως πάντα· ἐπὶ τῷ κύκλῳ γὰρ περιέχει ἄλλο ἄλλο.*

15) *ἐν τῷ οὐρανῷ πάντα· ὁ γὰρ οὐρανὸς τὸ πᾶν ἴσως.*

16) *τοῦ οὐρανοῦ τι τὸ ἔσχατον καὶ ἁπτόμενον τοῦ κινητοῦ σώματος πέρας ἠρεμοῦν.* Cf. de coelo I, 9, 279, a. 11 ss.

Illustrata loci natura, facilia explicatu sunt ea, quae supra illi assignata sunt, velut non augescere una cum corpore augescente locum, nec punctum in eo esse, nec duo in uno eodemque loco corpora; porro esse quidem alicubi locum, non autem *ὡς ἐν τόπῳ*, verum *ὡς τὸ πέρας ἐν τῷ πεπερασμένῳ*, neque in loco quicquam nisi mobile corpus; denique non modo ad suum quodque ferri locum, quoniam, quaecunque res aliam non vi sed *ἐφεξῆς* (cf. Phys. V, 3.) tangit, huic cognata et affinis sit; sed esse etiam in suo quodque loco tanquam partem in toto suo [17]).

Expeditae huic de loco disputationi alteram Aristoteles subiungit, qua confutatis physicorum de inani quodam spatio commentis, suam de loco sententiam confirmet [18]). Pari enim locus vacuumque apud veteres sunt fortuna sociati. Et primum quidem Aristoteles eos, qui reiiciebant *τὸ κενὸν*, carpit quod, propugnatores inanitatis sub hac aërem intelligere, rati minime quidem nihil existere vacui probaverint, sed operam omnem in ostendendo, aërem corpus esse, consumserint, nulla eorum ratione habita, qui vel vacuum substantiae instar ab aliis separatum subsistensque per se intervallum, vel meatus (h. e. foramina vacua corporibus inserta [19]) ponerent. Multo scitius, qui tutabantur *τὸ κενόν*, rem aggressi sunt

---

17) Habet enim id, quod continetur, materiae s. partis, id quod continet formae s. totius rationem, sicut aër actus formaque est aquae materiae, quae potestate aër eodemque inferior est, quamquam alio rursus modo aër aqua est *δυνάμει*.

18) Haec ab instituta re digressio num iure Aristotelis calamo vindicetur necne, hic enucleare eo magis supersedendum existimo, quod nimis alienum a nostro est proposito nec multum afferret ad loci indagandam naturam utilitatis. Quocirca liceat mihi hanc de inani doctrinam, quae nonnullis in locis videtur sat conspicua interpolantis manus vestigia prodere (cf. Weisse Anmerkungen zu Aristot. Phys. 2te Abthlg. S. 493—515) breviter tantum attingere.

19) *διάστημα ἕτερον τῶν σωμάτων καὶ χωριστὸν καὶ ἐνεργείᾳ ὄν, ὃ διαλαμβάνει τὸ πᾶν σῶμα ὥστ' εἶναι μὴ συνεχές*, id quod corpora continua esse vetat.

pluribus allatis rationibus. Quarum prima a motu petita ea est, sublato vacuo, nec compressionem expansionemve rerum nec generationem nutritumve posse explicari, ducto inde argumento, quod locus, uno iam refertus corpore, alterum recipere nequeat nisi absurdissimis admissis repugnantiis, quodque, auctore Melisso, si vacuum negas, omnem congruenter motum reiicias; ad hoc vas cinere refertum tantundem recipere dicunt, quantum idem vas vacuum aquae. Quas rationes antequam refellit Aristoteles, quid „inanis“ vox valeat, exponit. Existimatur inane esse locus omni destitutus corpore, vel spatium, in quo nihil inest nec grave nec leve, vel denique intervallum ad recipienda corpora sub sensus cadentia aptum. Quamobrem fuere, qui materiam absque forma consideratam pro inani haberent. Qui tamen eo iam refelluntur, quod inane secerni a corpore potest, materia non potest. Quid vero de inani, ut loco ab omni corpore vacuo, dicendum sit, ex supra disputatis patet. Quamquam sunt, qui hanc loci vacuique affinitatem in motu collocent, quippe necessario utrique. Sed motus sine ulla loci inanitate existere potest. Movetur enim succeditque aliud in alium locum corpus, etiamsi nihil est vacui, quoniam et comprimi materia et dilatari potest, prout quid materiae elicitur e corpore aut ei admovetur idemque commutat; nec praeterea, quum corpora suapte sursum deorsumque natura ferantur, est, cur huius motus causam ad inane revocemus. *Τὸ κενὸν* igitur non solum nihil ad motum confert, sed ne ullum quidem patitur motum. In vacuo enim spatio corpus semel commotum vel coniectum aut nunquam aut semper quiescat aut denique quoquoversus contorqueatur necesse est; quo accedit, quod, quicunque in eo motus fieret, nullam omnino ferret temporis rationem. Ex quibus omnibus manifestum est, vacuum neque motus esse principium neque locum quendam separatum et trina dimensione praeter corporis dimensiones praeditum. Qui autem vacuum defensitant corporibus insertum, evincere hoc corporum raritate sibi videntur; sed perperam admodum. Inane enim, ut leve quidvis, nonnisi sursum tendere, — nae

ne hoc quidem posset, quoniam, si facultate locum implendi mutandique valeret, necessario locum, quo assurgeret, inani inanem faceret. Quare Aristoteli, veram indaganti rariorum densiorumque causam, placet unam esse eandemque contrarii cuiusvis materiam, nec si quid fiat, ex nihilo id fieri, sed ita *ἐκ δυνάμει ὄντος ἐνεργείᾳ ὂν γίνεσθαι*, ut nulla uni materiae neque addatur unquam nec detrahatur particula semperque eadem sit tam parvi quam magni materia.

Quae quum sic se habeant, ***nihil est per se inane nec habet id, quod hoc nomine fertur, ullam vim propriam.***

§. 2.

Aristotelis de tempore doctrina.

Iam eo pervenimus, ubi Aristoteles de tempore et utrum sit (*πότερον τῶν ὄντων ἐστίν*) et quid sit (*τίς ἡ φύσις αὐτοῦ*) disceptationem adnectendam putat et ab eo proficiscitur, ut utramque quaestionem in dubium vocet. Tempus enim non esse vel certe *μόλις καὶ ἀμυδρῶς*, eo videtur evinci, quod, sive finitum (*ἀεὶ λαμβανόμενον*) tempus sive infinitum spectas, tum fuit nec diutius est tum erit nondumque adest; cuius autem partes non sunt, id ne ipsum quidem existere videtur. Ad hoc *τὸ νῦν* s. praesens et individuum momentum nulla esse pars temporis potest propter individuam, a qua tempus abhorret, naturam. Videtur porro nec idem semper nec aliud et aliud esse *τὸ νῦν*. Nam hoc si est et si plura „nunc“ simul non sunt, id, quod antecedit, necessario interiit. In quo autem hoc factum esse potest? In seipso interiisse nequit, quia tunc temporis revera fuit. Nec plus probabilitatis habet, illud in alio quodam nunc periisse. Ut enim puncta punctis continua non sunt, nisi linea interiecta, ita *τὰ νῦν* secum invicem connexa seu *ἐφεξῆς* per se non sunt, sed interest ***medium aliquod tempus infinite dividuum,*** in quo *τὸ* nunc minus etiam interiisse potest. Nec porro magis *τὸ νῦν* unum semper et idem est. Nam si, quaecunque res determinata et dividua est, plus uno finitur termino, tempus quoque plus unum habet istiusmodi terminum vel

nunc; alioqui nihil foret inter prius posteriusque discriminis, sed essent simul omnia.

Tantum de dubiis in prima quaestione (εἰ ἔστι χρόνος) exorientibus, nunc de temporis natura (τῷ τί ἐστι) dicendum. Sunt enim alii, qui illud ex universi motu, alii qui ex ipsa constare sphaera universa contendunt, quorum neutri recte sentiunt. Illi enim iam eo refelluntur, quod, quae valet, temporis notio ex parte constat τῆς περιφορᾶς, neque vero e tota duntaxat mundi conversione; praeterea numero si plures essent coeli, plura inepte tempora forent. Alteram qui tuentur sententiam putantque, quum et in coelo omnia et in tempore versentur, idem utrumque esse, eos Stagirita, quos refutet, indignos existimat.

Quid igitur est tempus? Ex ipso motu idcirco non constat, quod hic in subiecta, quae movetur, materia versatur, tempus autem ubique et in omnibus; porro motus quisque vel citior est vel tardior, tempus quippe definiens et celeritatem et tarditatem eundem semper cursum tenet. Atqui *licet tempus non ipsemet motus sit, sine hoc tamen ab eoque seorsim cogitari nullo pacto potest.* Nam utprimum vel continuam retinemus in mente motus progressionem vel series cogitationum nostrarum somno interrumpitur, simul tempus percipere desinimus, quoniam τὸ νῦν proximum sensibus nostris adnectere ad praesens momentum consuevimus, dempto ex cogitatione medio. Propter hanc temporis cum motu cognationem illud huic adiunctum vel affectio eius aliqua dicitur [20]. Iam vero motus omnis quum in continua versetur magnitudine, et ipse continuus est et, *ut tempus sit continuum*, *efficit.* Quumque nulla sit magnitudo individua, sed in varias ita divisa partes, ut sit aliquid prius, posterius aliquid, aequaliter in motu exstant partes sic dispositae, ut prior alia sit, alia posterior. Quod autem in motum, idem in tempus cadit. Utrumque enim quum extensioni se applicet, alterum deinceps ab altero excipit τὸ prius et posterius,

---

20) κινήσεώς τι. Cf. VIII, 1: ὁ χρόνος πάθος τι κινήσεως.

quod primum per se in locali extensione s. magnitudine est[21]. Praeterire enim tempus dicimus, quum aliquam deprehendimus priorum posteriorumque momentorum seriem continuationemve in motu. Ubicunque vero unum tantum nunc nec prius quicquam nec posterius percipitur, ibi, quia motus nullus, ne tempus quidem apparet. Quamobrem quum sit motus, qui, quatenus ex variis constat momentis et numerari potest, tempus constituit, *tempus est numerus in motu* s. *motus quatenus numeratur secundum prius et posterius* (*ἔστι ὁ χρόνος ἀριθμὸς κινήσεως κατὰ τὸ πρότερον καὶ ὕστερον*). Et quidem numerus tempus est, propterea quod, ut ille *τὸ* plus atque minus in universum, sic hoc idem in motu discernit. Quumque duplex numerus sit et numeratum (*τὸ ἀριθμούμενον*) et id quo numeratur[22] (i. e. numerus abstractus, ut ita dicam, quo numeramus), — *tempus est numerus*, *quatenus id est, quod numeratur* (*ὁ χρόνος ἐστὶ τὸ ἀριθμούμενον*). Cetera ut motus ita tempus successivum (*ἀεὶ ἄλλος καὶ ἄλλος*) est utpote *τῷ νῦν* in prius posteriusque divisum[23]. *Τὸ* nunc autem partim unum semper et idem partim aliud diversumque; hoc quidem ratione, ut aiunt, quoad in alia semper atque alia motus parte versatur vel numero prius posterius-

---

21) *τὸ πρότερον καὶ ὕστερον ἐν τόπῳ πρῶτόν ἐστιν.* De temporis *τῷ* prius et posterius conferas etiam Probl. XVII, 3.

22) „*τὸ μὲν ἐπὶ τοῦ ἐνεργείᾳ τὸ ἀριθμούμενον, τὸ δὲ ἐπὶ τοῦ δυνάμει τὸ ἀριθμητόν.*“ Philop. s. p. 11. cf. Schol. in Arist. Brandis I. p. 389, a. 37.

23) Pugnare inter se prima specie videntur, quae scripta exstant Phys. IV, c. 10. et 11, enuntiata, quorum illud est: *τὸ δὲ νῦν οὐ μέρος (τοῦ χρόνου)· μετρεῖ τε γὰρ τὸ μέρος καὶ συγκεῖσθαι δεῖ τὸ ὅλον ἐκ τῶν μερῶν· ὁ δὲ χρόνος οὐ δοκεῖ συγκεῖσθαι ἐκ τῶν νῦν* (sc. *οὐδὲ μετρεῖται τῷ νῦν*), hoc autem est: *τὸ δὲ νῦν τὸν χρόνον μετρεῖ ᾗ πρότερον καὶ ὕστερον.* Sed illa Aristoteles de *absoluto nunc* disseruit, quod per se vocatur nec tempus est nec pars temporis *nec tempus metitur;* hic vero de *relativo nunc*, quod vocatur *καθ' ἕτερον* et non solum *τὸ* ante et *τὸ* post et utriusque medium terminum complectitur, verum etiam *tempus metitur.*

que cernitur [24]); — illud, quoad subiectum remque ipsam spectat. Quemadmodum enim magnitudo, motus et tempus mutuo inter se cognationis vinculo iuncta sunt, sic eorum principia: punctum mobile et nunc (per quae sola licet ista menti informare, quoniam sub sensus cadunt) se habent, quorum in utrumque prius quum illa quadret distinctio, in praesens quoque momentum cadit, ut subiecto s. re (*ὅ μέν ποτε ὄν*) unum sit in tempore continuo fluens, ratione (*λόγῳ* s. *τῷ εἶναι*) diversum. Unde patescit, ut *φορὰν* inter et *φερόμενον*, ita inter *τὸ νῦν* tempusque tam arctam intercedere coniunctionem, ut, uno sublato, ne alterum quidem diutius existat et, si tempus est numerus motus, *τὸ νῦν* sit tanquam mobilis numerus s. numeri unitas (*μονὰς ἀριθμοῦ*). Deinde ut motus latiove una est et continua propter rei, quae movetur, *λόγῳ* (non *ὅ ποτε ὄν*) unitatem *τὸ* prius posteriusque efficientem, sic tempus quoque unum et idem est propter continuam *τοῦ νῦν* unitatem, quo tempus, ut linea puncto, disterminatur (*διήρηται*). Quae quidem cognatio [25]) in eo quoque cernitur, quod quum punctum nulla lineae pars sit, ne *νῦν* quidem pars temporis, nedum tempus ipsum, est; sunt enim *τὰ νῦν* nihil nisi duo temporis extrema *συμβεβηκότα*. *Τὸ νῦν* autem, quum quatenus numerat, numerus sit, *tempus est motus* s. *duorum nunc (et prioris et posterioris)*

---

24) Phys. IV, 11: *ᾗ ἀριθμητὸν τὸ πρότερον καὶ ὕστερον τὸ νῦν ἐστιν.*

25) Quodsi *τὸ νῦν*, auctore Aristotele, omnibus in partibus puncto respondet, necesse est quum punctum, quatenus dividit lineam lineaeque unius initium, terminus alterius apparet, *consistat* quodammodo et *quiescat*, idem *τῷ νῦν* conveniat, quippe cuius pariter sit et divisio et continuitas propria. Et tamen negat Aristoteles, *τὸ νῦν* esse numerum *consistentium* initii finisque partium; dicit contra, illud esse simplex appellandum, ipsi simile vel principio vel termino lineae, quatenus per se sint et absolute simplicia; nullum autem esse temporis punctum, in quo *stare* aliquid dicatur, quoniam motus tempusque sint continua et infinite dividua (cf. Phys. IV, 13; VI, 7—9). Quae tamen discrepantia tam apertam habet in diversa lineae temporisque natura explicationem, ut in memoriam id revocare vix opus sit.

numerus continuus (ὁ χρόνος ἀριθμός ἐστι κινήσεως κατὰ τὸ πρότερον καὶ ὕστερον καὶ συνεχής). Cui temporis definitioni Aristoteles quinque subiungit eiusdem propria:

1) habet tempus, quoad numerus est, perinde ut hic, minimum quoddam dualitate prioris ac posterioris praeditum; quoad autem continuum est et infinite dividuum (κατὰ μέγεθος), minimo caret;

2) quatenus numerus est tempus, πολὺς καὶ ὀλίγος dicitur, quatenus continuum μακρὸς καὶ βραχύς, segregato a tempore τῷ ταχεῖ καὶ βραδεῖ in numerum, quo numeratur [26], non cadentibus;

3) idem est ubique et simul tempus, temporis autem partes (τὸ prius et posterius) diversae quippe ex diversis „nunc" compositae;

4) ut motus, ita tempus certo recurrere ordine potest (velut anniversarium);

5) tempus non solum motus, sed hic etiam illius numerus et mensura est, quippe quum definiant se invicem terminentque. Magnitudinem enim motu solemus, motum magnitudine metiri, quorum utrumque, quod ad quantitatem, continuationem divisionemque (καὶ ποσὰ καὶ συνεχῆ καὶ διαιρετά) attinet, aequalem esse tempori compertum habemus. Est igitur, motum in tempore esse, nihil aliud, quam metiendum esse tempore motum idque per partes. Perinde hoc est in aliis rebus, quae in tempore tum versari dicuntur, quum eas tempore metimur. Quidquid autem in tempore est, ita in eo est, ut aut simul sit cum tempore aut in eo sit tanquam pars eius et affectio aut denique a tempore numeretur. Utroque hoc modo possunt quaedam in tempore inesse. Nam quum τὸ νῦν καὶ τὸ πρότερον καὶ τὸ ὕστερον sint aliquid ipsius temporis, tum res motui obnoxiae in tempore successivae sunt et huic metiendae; *quare ut in loco res loco con-*

---

26) ᾧ ἀριθμοῦμεν = „τὸν ἠριθμημένον ἀριθμόν, ἐξ οὗπερ καὶ ὁ χρόνος ἐστί, λέγω δὴ τὴν ἠριθμημένην κίνησιν. Philop. t. p. 3. Schol. Brandis p. 390. Legendum fortasse est pro ᾧ ἀριθμοῦμεν (Phys. IV, 12.) ἀριθμὸς ὁ ἀριθμούμενος.

tinentur, *ita in tempore numero.* Primus autem ille modus, ex quo aliquid in tempore est, si simul est cum tempore, cuivis sana mente praedito absurdus videatur oportet. Eum enim si statuis, coelum in grano milii inesse contenderim, quum hoc simul sit cum illo. Quaecunque autem in tempore sunt, a tempore, ut quod quaque re maius sit, et continentur et afficiuntur, quoniam omnia non modo superantur tempore, sed corrumpuntur etiam, tabescunt, senescunt, oblivioni traduntur [27]). Quare quae semper sunt, res aeternae ac coelestes, quâ tales, in tempore non sunt, quandoquidem neque certo tempore continentur neque eo patiuntur nec ullam habent sumptam e tempore mensuram [28]). Iam vero quum tempus sit motus mensura, idem est etiam mensura quietis (*ἠρεμίας*); neque enim tempus ipse motus est (qui tollit quietem), sed in motu numerus, in quo esse quies [29]) optime potest. Ut igitur, quod a numero numeratur, in numero esse dicitur, ita etiam, quum sit numerus tempus,

---

27) *φθορᾶς γὰρ αἴτιος καθ' αὑτὸν μᾶλλον ὁ χρόνος* quam generationis; cf. de coel. I, 9: *διόπερ οὔτ' ἐν τόπῳ, τάχει* (sc. *τὰ ἔξω τοῦ οὐρανοῦ, τὰ ἀεὶ ὄντα*) *πέφυκεν, οὔτε χρόνος αὐτὰ ποιεῖ γηράσκειν, οὐδ' ἐστὶν οὐδένος οὐδεμία μεταβολὴ τῶν ὑπὲρ τὴν ἐξωτάτω τεταγμένων φοράν, ἀλλ' ἀναλλοίωτα καὶ ἀπαθῆ τὴν ἀρίστην ἔχοντα ζωὴν καὶ τὴν αὐταρκεστάτην διατελεῖ τὸν ἅπαντα αἰῶνα.*

28) Cf. de coel. I, 9: *ἅμα δὲ δῆλον, ὅτι οὐδὲ τόπος οὐδὲ κενὸν οὐδὲ χρόνος ἐστὶν ἔξω τοῦ οὐρανοῦ ἐν ἅπαντι γὰρ τόπῳ δυνατὸν ὑπάρξαι σῶμα . . . χρόνος δὲ ἀριθμὸς κινήσεως· κίνησις δ' ἄνευ φυσικοῦ σώματος οὐκ ἔστιν. ἔξω δὲ τοῦ οὐρανοῦ δέδεικται ὅτι οὔτ' ἔστιν οὔτ' ἐνδέχεσθαι γενέσθαι σῶμα.* Praeterea tempori immobilia non esse obnoxia ex Met. Θ fine perspicitur, ubi sic legimus: *φανερὸν δὲ καὶ ὅτι περὶ τῶν ἀκινήτων οὐκ ἔστιν ἀπάτη κατὰ τὸ ποτέ.*

29) Ea quae hic tempori subiicitur quies non est absoluta illa, quam tribuit Aristoteles *τῷ ἀκινήτῳ, τῷ ὅλως ἀδυνάτῳ κινηθῆναι*, sed ea quae est cuiusque *πεφυκότος μὲν κινεῖσθαι καὶ δυναμένου, μὴ κινουμένου δὲ τότε, ὅτε πέφυκε, καὶ οὗ καὶ ὥς, ὅπερ ἠρεμεῖν καλῶ τῶν ἀκινήτων μόνον· ἐναντίον γὰρ ἠρεμία κινήσει· ὥςτε στέρησις ἂν εἴη τοῦ δεκτικοῦ* (Phys. V, 2. et Met. X, fin.).

quidquid tempore metimur, in tempore esse contendimus, sive motu constat sive, quae huius privatio est, quiete [30]. ***Tempus est enim motus et quietis mensura*** [31], neque, quae nec motui nec quieti obnoxia sunt, in tempore versantur, utpote indefinita tempore et incommensurabilia. Ex iis autem, quae non sunt, ea, quae nec fuere nec esse queunt, una cum ipsorum oppositis semper existentibus in tempore non versantur; quaecunque autem vel fuere vel possunt esse, in tempore sunt ut caduca, nascentia, dilabentia. Superantur haec enim continenturque tempore, veluti motus, quies resque motui, quieti, ortui, interitui obnoxiae [32]. Quibus disceptatis sex Aristoteles examinaturus tanquam differentias

1) primum de *τῷ νῦν* loquitur, quod temporis continuitatem constituit [33]. Continuatur enim et dividitur tempus praesenti momento, ut linea puncto, ita ut *τὸ νῦν* sit futuri praeteritique tum vinculum continuum tum terminus h. e. futuri temporis initium finisque praeteriti [34]. Unde efficitur, ut *τὸ νῦν* re sit idem et continuum, ratione diversum [35]. Altera eius significatio haec est, ut sit proximum praesenti momento sive praeteritum sive futurum.

2) Tempus porro determinatur *τῷ ποτὲ* vel priori vel posteriori [36], unde, quum nihil non sit aliquando, colligi licet,

---

30) *τὸ ἐστερημένον κινήσεως, πεφυκὸς δὲ κινεῖσθαι.*

31) *ὁ χρόνος κινήσεως καὶ ἠρεμίας μέτρον.*

32) Nam tempus, quatenus exsuperat complectiturque res, maius est eo tempore, quod rerum *τὸ* esse metitur (*ἔστι γὰρ χρόνος τις πλείων, ὃς ὑπερέξει τοῦ τε εἶναι αὐτῶν καὶ τοῦ μετροῦντος τὴν οὐσίαν*: IV, 11).

33) *τὸ δὲ νῦν ἐστι συνέχεια χρόνου.*

34) Iure igitur Aristoteles *τὸ νῦν* vocat *ἀρχὴν τοῦ χρόνου*: Anal. post. II, 12.

35) *ἔστι δὲ ταὐτὸ καὶ κατὰ ταὐτὸ ἡ διαίρεσις καὶ ἡ ἕνωσις, τὸ δ' εἶναι οὐ ταὐτό.*

36) Hic fortasse aliquis quaestiunculam posuerit, qui factum sit, ut, quamvis ad *τοῦ ποσοῦ* categoriam tempus referatur, suam tamen

tempus esse *finitum* (πᾶς χρόνος πεπεραςμένος). Verumtamen ab altera parte quum una sit eademque et temporis et motus ratio, motus autem numero diversus, diversum etiam numero tempus est vel est aliud semper et aliud h. e. *infinitum*, *aeternum* [37]. Idem sequitur e τοῦ νῦν natura, quae efficit, ut tempus in eodem et desinens et incipiens nunquam finem capiat; neque enim eiusdem τὸ νῦν est sed alterius semper principium et finis, sicuti alia est concavae circuli partis, alia convexae ratio [38].

3) Τὸ ἤδη (iam) ea temporis pars est, quae est proxima praesenti momento, vel praeterita vel futura.

4) Τὸ ἄρτι (nuper, modo) propinquum quidem τῷ νῦν est, sed praeteritum.

5) Τὸ πάλαι (quondam) remotum est a praesenti momento.

---

propriam habeat τὸ ποτὲ categoriam? Cui respondemus, universaliorem subiectam esse categoriae ποτὲ quam supra commemorato ποτέ, vim eiusmodi, ut τὸ olim non modo, sed etiam τὸ νῦν et quamque temporis diuturnitatem comprehendat. Idem valet in spatio; nam praeterquam quod hoc ad ποσὸν categoriam pertinet, alia τοῦ ποῦ categoria exstat, quae tamen nihil vult, nisi locum in certorum locorum ordinem redigere. Cf. A. Trendelenburg Hist. Beitr. zur Philos. I. Bd. S. 86 sq. et 142 sq.

37) Cf. Metaph. *K*, 10, ubi discrimen inter τὸ ἄπειρον ἐν μεγέθει καὶ κινήσει καὶ χρόνῳ exponitur et τὸ ἄπειρον dicitur πάθος ἀριθμοῦ καὶ μεγέθους.

38) Cf. VIII, 1: εἰ οὖν ἀδύνατόν ἐστι καὶ εἶναι καὶ νοῆσαι χρονον ἄνευ τοῦ νῦν· τὸ δὲ νῦν ἐστι μεσότης τις καὶ ἀρχὴν καὶ τελευτὴν ἔχον ἅμα ἀρχὴν μὲν τοῦ ἐσομένου χρόνου, τελευτὴν δὲ τοῦ παρελθόντος, ἀνάγκη ἀεὶ εἶναι χρόνον. Quae sententia omnino respondet de motu doctrinae, de quo ibidem legitur: ἀεὶ ἦν καὶ ἀεὶ ἔσται (sc. κίνησις) καὶ τοῦτ' ἀθάνατον καὶ ἄπαυστον ὑπάρχει τοῖς οὖσιν, οἷον ζωή τις οὖσα τοῖς φύσει συνεστῶσι πᾶσιν. Cf. Phys. VIII, 8—9 et Met. XII, 6: ἀδύνατον κίνησιν ἢ γενέσθαι ἢ φθαρῆναι· ἀεὶ γὰρ ἦν· οὐδὲ χρόνον. οὐ γὰρ οἷόν τε τὸ πρότερον καὶ ὕστερον εἶναι μὴ ὄντος χρόνου. De circuli in rebus dialecticis gravitate cf. Mech. Probl. c. I.

6) *Τὸ ἐξαίφνης* (repente) commutatio est tam brevi tempore effecta, ut percipi [39]) nequeat [40]).

Quidquid igitur movetur, in tempore movetur, quoniam quum *τὸ νῦν* (quod definitur *ὅρος τοῦ παρήκοντος καὶ τοῦ μέλλοντος*) in tempore sit, prius ac posterius (*ἡ τοῦ νῦν ἀπόστασις*) in eo non inesse nequeunt. Iam vero tempus ubique est et in terra et in coelo, quia est numerus ac mensura motus, qui ubique reperitur; simul sunt enim tempus motusque potentia et actu. Porro quum tempus sit numerus in motu quumque, sublato intellectu, nihil neque numerare nec numerari queat, sequitur, *tempus pendere ex intellectu numerante.* Ad hoc tempus numerus non est certi cuiusdam motus generis, sed cuiusvis in universum motus continui (*χρόνος κινήσεώς ἐστιν ἁπλῶς ἀριθμὸς συνεχοῦς, ἀλλ' οὐ τινός.* IV, 14). Unde iterum apparet, unum esse tempus utpote ex una eo-

39) *τὸ δὲ ἐξαίφνης τὸ ἐν ἀ ν α ι σ θ ή τ ῳ χρόνῳ διὰ μικρότητα ἐκστάν.* Quid vero? Nonne haec pugnant cum iis Stagiritae effatis, in quibus *ἀναίσθητον* tempus aperte reiicit? velùt de sens. et sensil. VII: *ὃ δὲ λέγουσί τινες τῶν περὶ τὰς συμφωνίας ὅτι οὐχ ἅμα μὲν ἀφικνοῦνται οἱ ψόφοι, φαίνονται δὲ καὶ λανθάνει, ὅ τ α ν ὁ χ ρ ό ν ο ς ᾖ ἀ ν α ί σ θ η τ ο ς, πότερον ὀρθῶς λέγεται ἢ οὔ; . . . . ο ὐ δ' ἐ ν δ έ χ ε τ α ι χ ρ ό ν ο ν ε ἶ ν α ι ἀ ν α ί σ θ η τ ο ν ο ὐ δ έ ν α, ο ὐ δ ὲ λ α ν θ ά ν ε ι ν, ἀλλὰ παντὸς ἐνδέχεται αἰσθάνεσθαι . . . . ἅπαντα μὲν οὖν αἰσθητά ἐστιν . . . . ὅ τ ι μ ὲ ν ο ὖ ν ο ὐ δ ε ί ς ἐ σ τ ι χ ρ ό ν ο ς ἀ ν α ί σ θ η τ ο ς, ἐ κ τ ο ύ τ ω ν φ α ν ε ρ ό ν.* Quam quidem speciosam repugnantiam quum iam Alexander, adstipulante Simplicio (f. 178) removerit, ipsa illius verba proferre satis erit: *μήποτε οὖν, φησίν, ἐπειδὴ ὁ αἰσθητὸς καὶ ἀναίσθητος χρόνος τῷ αἰσθητῷ καὶ μὴ αἰσθητῷ πάθει κρίνεται, ὅταν τινὸς γενομένου ἀντίληψιν μὴ δυνηθῶμεν ἔχειν διὰ ταχύτητα μὲν τῆς ἐκείνου κινήσεως ὀλιγότητα δὲ τοῦ χρόνου, ἐν ᾧ ἐγένετο ἢ ἐκινήθη, τότε ἐπ' ἐκείνου ἀναίσθητος ὁ χρόνος εἴη ἂν οὕτως ο ὐ χ ἁ π λ ῶ ς ἀναίσθητος.*

40) Qui nunc sequitur cap. XIII exitus inde a verbis *μεταβολὴ δὲ πᾶσα* tam aperta prodit interpolationis vestigia, ut non possim, quin ab Aristotele eum abiudicem. Argumenta, quibus, ut ita sentiam, adducor, enarrandi et excutiendi infra locus apparebit.

rundem motuum universa mensura constans [41]. Et tamen eius potius, qui in circulum [42] flectitur, quam alius cuiuscunque motus [43], mensura tempus est, ita ut ab aequali illo atque primario motu mensura quum aliorum motuum tum temporis deducatur. Nam ut aliud quidvis, sic tempus finito quodam tempore metimur [44].

§. 3.

Summa Aristotelicae de spatio temporeque doctrinae.

Hisce omnibus explanatis, consentaneum erit, ad viam disputationis respiciens huius summam proponere. Patet et esse locum et esse eum vim quandám tribus, corporum instar, dimensionibus praeditam. Quamquam eum nec corpus esse ipsum nec eius receptaculum (h. e. commenticium, in quo versari corpora putentur, intervallum vacuum), nec causam rerum aliquam nec denique aut materiam aut formam aut partem habitumve corporis. Contineri autem res loco, qui superi inferique differentiis exstructus seiungi a rebus possit. Quapropter *esse locum extremum* s. *terminum immo-*

---

41) *ὁ αὐτὸς χρόνος εἷς ὁμοίως καὶ ἅμα εἴπερ καὶ ὁ ἀριθμὸς ἴσος.*

42) *τῆς κυκλοφορίας.*

43) *διὸ καὶ δοκεῖ ὁ χρόνος εἶναι ἡ τῆς σφαίρας κίνησις, ὅτι ταύτῃ μετροῦνται αἱ ἄλλαι κινήσεις καὶ ὁ χρόνος ταύτῃ τῇ κινήσει. διὰ δὲ τοῦτο καὶ τὸ εἰωθὸς λέγεσθαι συμβαίνει· φασὶ γὰρ κύκλον εἶναι τὰ ἀνθρώπινα πράγματα καὶ τῶν ἄλλων τῶν κίνησιν ἐχόντων φυσικὴν καὶ γένεσιν καὶ φθοράν· τοῦτο δὲ ὅτι ταῦτα πάντα τῷ χρόνῳ κρίνεται, καὶ λαμβάνει τελευτὴν καὶ ἀρχὴν ὡςπερανεὶ κατά τινα περίοδον· καὶ γὰρ ὁ χρόνος αὐτὸς εἶναι δοκεῖ κύκλος τις:* IV, 14 cf. Probl. XVII, 3: *ὥςπερ ἐπὶ τοῦ οὐρανοῦ καὶ ἑκάστου τῶν ἄστρων φορᾷ κύκλος τίς ἐστι, τί κωλύει καὶ τὴν γένεσιν καὶ τὴν ἀπώλειαν τῶν φθαρτῶν τοιαύτην εἶναι, ὥστε πάλιν ταῦτα γίνεσθαι καὶ φθείρεσθαι; καθάπερ καὶ φασὶ κύκλον εἶναι τὰ ἀνθρώπινα.*

44) *ἀριθμεῖται ὁ χρόνος τινὶ ὡρισμένῳ, — ὁ χρόνος μετρεῖται τῇ κυκλοφορίᾳ.*

bilem continentis corporis aequalis vel ***superficiem***, ***vasis instar***, ***corpus continentem.*** Inde effici, ut, quodcunque corpus alio finiatur corpore, idem versetur in loco, qui sit vel ***proprius*** cuiusque rei vel ***communis*** omnium locus. Hunc (τόπον κοινόν) et in medio versari sphaerae coelestis et in eiusdem superficie extrema in finibus coeli sita. Sphaeram vero universam s. coelum in loco non esse, esse tantum in eo singulas illius partes; neque ipsum coelum esse locum neque mundum universum. Pariter nec angescere cum corpore locum nec punctum in eo esse nec quidquam omnino nisi mobile.

Postquam deinde excussum est, nihil per se esse inane nec denique a materia seiunctum tale quid existere, ad ***temporis*** contemplationem proceditur. Tempus enim aut fuisse aut futurum esse neque unquam videri adesse, quippe quum individuum praesens momentum (τὸ νῦν) nulla sit temporis neque pars neque mensura, sed terminus continuumve praeteriti ac futuri vinculum, quod quodammodo dividat tempus in partes tanquam eius μόνας. Quod quidem νῦν quum in medio iaceat praeteriti ac futuri, cum tempore unà non esse eademque natura, nec tempus e sphaera universa aut ex ipso motu constare, quamquam sine motu ne concipi quidem queat. Nam tum esse tempus dici, quum aliquam in motu continuationem et varia quasi momenta percipiamus. Quare ***tempus continuum esse in motu numerum numeratum*** s. ***motum quatenus ratione habita τοῦ prius et posterius numeretur*** s. denique ***numerum duorum nunc et prioris et posterioris.*** Esse praeterea idem ubique et semper tempus, eius autem partes diversas. Tempus et motum se invicem metiri ac terminare et utrumque quum continuum esse tum infinite dividuum. Dici autem in tempore esse id, cuius mensura e tempore constet ita ut, sicut in loco res loco contineantur, in tempore numero omnia non solum contineantur, sed afficiantur etiam. Quapropter aeterna quaevis in tempore non esse, esse vero quietem. Etenim tempus esse motus et quietis mensuram, et infinitum (quoniam in eodem νῦν incipiens et desinens nec

initium nec finem capiat) et interitus potius quam ortus causam. Quidquid igitur moveatur sive in coelo sive in terra, id in tempore esse, quod pendeat ab intellectu numerante. Tandem esse tempus *κυκλοφορίας* potissimum numerum, e quo primo omnium motu reliquorum motuum et ipsius temporis mensura deducatur.

CAPUT II.

§. 4.

Aristotelis de spatio doctrina in examen vocatur.

Postquam, pro angustis libelli finibus Aristotelicam de spatio temporeque doctrinam exposuimus, nostrum erit, quid sit recte dictum et quid minus diiudicare. In quo e disputationis ordine sic progrediemur, ut, integro omni ex parte iudicio praetermisso, tanquam in ipsius Stagiritae loco constituti nostram ei censuram adhibeamus. Atque etiamsi natura rei postulet, ut, priusquam ad loci diiudicationem accedamus, de tempore constet [45]), tamen quam Aristoteles ingressus est, viam servandam esse credidimus, ne, qui hucusque tenebatur, ordo disceptationis subverteretur. Itaque primum videndum est de spatio, qualia et quot eius genera statuerit, tenendumque, sic et rationi convenire et necessitati criticae disciplinae, ut singulis communia praemittantur.

1. Apud Aristotelem distinctio valet *loci communis* (*τόπου κοινοῦ*) et *singularis* s. *proprii* (*τόπου ἰδίου*), quorum iam in naturam diversitatemque praestat diligentius inquirere. Nam ubi hoc discrimen statuit: *τόπος ὁ μὲν κοινός, ἐν ᾧ ἅπαντα τὰ σώματά ἐστιν, ὁ δ' ἴδιος, ἐν ᾧ πρώτως*, *locum* [46])

45) cf. Phys. IV, 4: *πρῶτον μὲν οὖν κατανοῆσαι, ὅτι οὐκ ἂν ἐζητεῖτο ὁ τόπος, εἰ μὴ κίνησίς τις* (ideoque et tempus, quod est *ἀριθμὸς κινήσεως*) *ἦν ἡ κατὰ τόπον*.

46) *ὁ τόπος* significat et spatium (Raum) et locum (Ort); nam etsi duo in Aristotelicis libris exstant vocabula *τόπος* et *χώρα* (hoc spatii plerumque vim habens) tam acriter tamen non secernuntur, ut non promiscue unum pro altero usurpatum reperiatur.

communem omnia complecti corpora vult. Unde iam quaestio oritur, quaenam τῷ ἐν ᾧ subiicienda sit sententia? numquid plus valeat, quam τὸ τοῦ οὐρανοῦ ἔσχατον καὶ πέρας ἠρεμοῦν h. e. extrema mundi coelestisque sphaerae superficies? Ex iis quae supra ab Aristotele proposita rettulimus, constat, locum esse terminum continentis corporis. Nihil ergo impedit, quo minus superficies illa pro loco communi habeatur, dummodo mundum et continuum esse et ultimo quodam materiali termino circumscriptum intelligas. Accedit quod ipsa Aristotelis verba hanc sententiam confirmant, utpote qui dicit ἅπαντα τὰ σώματα, neque vero ἕκαστον τῶν σωμάτων communi loco contineri.

2. Verumenimvero quaeritur, annon praeter communem hunc locum (allgemeiner Ort) aliud Aristoteles *universale s. absolutum spatium* (gemeinsamer Raum) per omnia penetrans mundi corpora statuerit? Quod si statuit (et hoc quidem tam certis comprobatur testimoniis, nemo ut contra dicat) necesse est absolutum illud spatium eandem habere ad communem et singularem quemque locum rationem, quam, ubi de rebus metaphysicis agitur, universale ad singulare [47]), i. e. universum spatium esse singulorum quorumque locorum tanquam ὑποκείμενον ac substantiam communem, quae per totum, ab ultima coeli superficie usque ad terram mediam, universum pervadat. Agedum videamus, quae apud Aristotelem eius rei documenta reperiantur. Atque

a) leguntur haec in Phys. IV, 4: οὐκ ἔστι δὲ ἄλλος τόπος ὁ τοῦ μορίου, ἐν ᾧ κινεῖται, ὅταν τὸ ὅλον ἀγγεῖον μεθιστῆται, ἀλλ' ὁ αὐτός· ἐν ᾧ γάρ ἐστιν ἀντιμεθίσταται ὁ ἀὴρ καὶ τὸ ὕδωρ καὶ τὰ μόρια τοῦ ὕδατος, ἀλλ' οὐκ ἐν ᾧ γίνονται τόπῳ, ὃς μέρος ἐστὶ τοῦ τόπου, ὅς ἐστι τόπος ὅλου τοῦ οὐρανοῦ. Ubi vix illa non potest agnosci absoluti spatii definitio. Dicitur enim corpus quodque, quum

47) Cuius ea est ratio, ut universale nisi per singulare non existat s. ut τὸ ἓν non sit παρὰ τὰ πολλὰ sed κατὰ πολλῶν, cf. Met. I, 9, 991, b. 1. Anal. post I, 11 init. — de an. III, 8.

moveatur, in alium ferri locum, qui pars sit *loci universi coeli*, quem quidem in solo consistere extremo termino, eo iam refutatur, quod prior ille e cunctis constat quae a singulis corporibus occupantur, partibus, posterioris autem partes praeter singulas ipsius ambitus particulas nullae esse queunt.

b) Eiusdem generis exemplum petere licet e c. 5: *καὶ μένει δὴ φύσει πᾶν ἐν τῷ οἰκείῳ τόπῳ ἕκαστον, οὐκ ἀλόγως· καὶ γὰρ τὸ μέρος τόδε ἐν ὅλῳ τῷ τόπῳ ὡς διαιρετὸν μέρος πρὸς ὅλον ἐστίν· οἷον ὅταν ὕδατος κινήσῃ τις μόριον ἢ ἀέρος.* Quibus ex verbis, si quidem *ὅλος ὁ τόπος* idem valet atque omnium locorum complexio, non modo vis illa absoluti spatii evidentissime perspicitur, sed hoc etiam sic intra mundi fines quasi effusum esse liquet, ut variis orbibus stratisve (Schichten, Lagen) constet eandem obtinentibus cum universo spatio rationem, quam separata quaelibet pars cum toto suo.

c) Sunt haec gravia, non ita tamen, ut ab illo non superentur, quod Aristoteles eam spatio virtutem assignat, ut sit tribus, corporum instar, dimensionibus exstructum [48]), quae in singularem locum haud perinde quadrant. Huius enim per se tanquam extremi continentis corporis termini seu vasis et superficiei duae tantum propriae esse dimensiones possunt, ita ut nesciam an in hunc sensum Simplicii verba interpretanda sint: *τῶν τὸν τόπον διαστατὸν λεγόντων οἱ μὲν ἐπὶ δύο διεστῶτα, ὡς ὁ Ἀριστοτέλης τε καὶ ὁ Περίπατος ἅπας, οἱ δὲ ἐπὶ τρία κτλ.* (in Phys. ausc. f. 140 b, cf. Scholia in Arist. coll. l. a Brandis 379, b, 30). Accedit quod

d) spatium duo exhibet *κάτω καὶ ἄνω* discrimina, tam sui propria, ut quum *partes* spatii (*τόπου μέρη καὶ εἴδη*) tum *κατ' ἐξοχὴν* duo universitatis rerum loca appellentur; velut de coel. IV, 4: *καὶ γὰρ οἱ τόποι δύο, τὸ μέσον καὶ τὸ ἔσχατον.* Quod quum postulet, ut sit intermedii aliquid, sic

---

48) Phys. IV, 2: *διαστήματα μὲν οὖν ἔχει τρία* (sc. *ὁ τόπος*) *μῆκος καὶ πλάτος καὶ βάθος, οἷς ὁρίζεται σῶμα πᾶν.*

pergit Aristoteles: *ἔστι δὲ δή τι καὶ τὸ μεταξὺ τούτων, ὃ πρὸς ἑκάτερον αὐτῶν λέγεται θάτερον· ἔστι γὰρ ὡς ἔσχατον καὶ μέσον ἀμφοτέρων τὸ μεταξύ. διὰ τοῦτό ἐστί τι καὶ ἄλλο βαρὺ καὶ κοῦφον* etc.

e) Idem praeterea ex eo sequitur argumento, quo Aristoteles spatium a materia discrepare probat; commune enim id habent, quod, quatenus *extensa* seu dimensionibus praedita (*μεγέθη*) sunt, natura praestant *infinite dividua*; discrimen autem, quo a se invicem discedunt, in eo versatur, quod spatium et disiungi a corporibus potest et haec complectitur. Quod vero et extensum et infinite dividuum est, plus sit oportet quam mera mundi superficies, imo affectio quaedam ubique materiae insita (*ὡς πάθος* c. 3).

f) Aliquantulum porro inde proficio, quod quum *τὸ κενὸν* definiatur *τόπος ἐστερημένος σώματος*, ipsum spatium sit aliquid per omnem mundi amplitudinem extensum et corporibus repletum.

g) Restat ultimum idque gravissimum argumentum, quod spatium inter *continua* 49) refertur in Cat. 6, ubi haec sunt: *πάλιν ὁ τόπος τῶν συνεχῶν ἐστί. τόπον γάρ τινα τὰ τοῦ σώματος μόρια κατέχει, ἃ πρός τινα κοινὸν ὅρον συνάπτει· οὐκοῦν καὶ τὰ τοῦ τόπου μόρια, ἃ κατέχει ἕκαστον τῶν τοῦ σώματος μορίων, πρὸς τὸν αὐτὸν ὅρον συνάπτει, πρὸς ὃν καὶ τὰ τοῦ σώματος μόρια. ὥστε συνεψὴς ἂν εἴη καὶ ὁ τόπος· πρὸς γὰρ ἕνα κοινὸν ὅρον αὐτοῦ τὰ μόρια συνάπτει.* Hinc enim apparet, spatium adeo inesse omnibus rebus, ut ne partes quidem continuorum corporum eo careant et inter partium loca locumque totius eadem paene ratio intercedat, quae inter singulorum corporum et universi mundi locum. Idem patet e Phys. IV, c. 11, ubi *πᾶν μέγεθος συνεχὲς* dicitur; spatium vero *μέγεθος* est, ergo *τόπος συνεχής*, et *τὸ πρότερον καὶ ὕστερον ἐν τόπῳ*

49) Cf. Simplic. f. 203, b: *τίς ὁ εἷς τόπος καὶ τίς ὁ πρῶτος, διακριτέον· εἷς μὲν οὖν ἐστιν, ὥς φησιν Ἀλέξανδρος, ὁ μὴ διῃρημένος ἀλλὰ συνεχής* (Brandis Schol. p. 226, b, 21).

πρῶτόν ἐστιν· ἐνταῦθα μέντοι τῇ θέσει, ἐπεὶ δ' ἐν τῷ μεγέθει ἐστὶ τὸ πρότερον καὶ ὕστερον κτλ., quae probant, spatium et extensum esse in tres dimensiones et continuum vel ita comparatum, ut sit cohaerens aliquid, cuius partium extrema se tangant et tangendo unum fiant [50]).

Ex omnibus igitur hucusque allatis cognitum est, Aristotelis absolutum spatium (τόπον ὅλον τοῦ οὐρανοῦ s. ὅλον τὸν τόπον s. τὸν ἕνα τόπον) omnia complecti et comprehendere corpora, ita ut quasi penetret per universum mundum variisque cum media terra orbibus cohaereat. Nam ut arboris truncum persecueris, complures ab imo corticis circulo usque ad medium lignum orbes apparebunt, inter quos cellulae rursus suum quaeque circulum describunt. Consimili ratione Aristotelis sese spatium habet: ultimus potissimusque coeli locus tanquam cortex circumscribit totam mundi sphaeram, unde tria deinceps quatuorve quasi strata procedunt, quae rursus singula pro corporum sese tangentium multitudine loca exhibent. Quocirca quum iam eo pervenerit disputatio, ut quales et quot sint illi orbes, exponatur, tres huc pertinentes locos subiiciam: σὺ νῦν ἐν τῷ οὐρανῷ (ἐστίν) ὅτι ἐν τῷ ἀέρι, οὗτος δ' ἐν τῷ οὐρανῷ (Phys. IV, c. 1). ἐπεὶ δὲ λέγομεν εἶναι ὡς ἐν τόπῳ τῷ οὐρανῷ διότι ἐν τῷ ἀέρι, οὗτος δ' ἐν τῷ οὐρανῷ (ibid. c. 4); denique: καὶ διὰ τοῦτο ἡ μὲν γῆ ἐν τῷ ὕδατι, τοῦτο δ' ἐν τῷ ἀέρι, οὗτος δ' ἐν τῷ αἰθέρι, ὁ δ' αἰθὴρ ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ δ' οὐρανὸς οὐκέτι ἐν ἄλλῳ (ibid. c. 5). E quibus intelligitur, quadruplicem vel quintuplicem esse orbem illum abso-

50) Idem quod supra dictis, spatii immobilitate firmatur, quae, nisi illud sit aliquid per totum penetrans mundum corporeum, molestissimis impeditur difficultatibus. Fac enim spatium aliter esse comparatum: quoniam locus est mobilium rerum vas tangensque superficies i. e. et ἅμα simulque semper et arctissime cum eis coniunctum, ubi, quaeso, remanet, si corpus dimoveas? Et qui porro locus, certis quibusdam erminis finitus, remoto uno corpore, alterum potest recipere, quin illam perdat rursus stabilitatem seque ad novum corpus accuratissime fingat? Haec similiaque incommoda vix poteris effugere, si absolutam spatium immobilem magnitudinem esse negas per totum mundum extensam.

luti spatii ac sic comparatum, ut novissimus, qui coelo constat, aethera complectatur, hic aërem, aër aquam, aqua denique terram in medio universae sphaerae coelestis sitam. Suntque hi orbes et partes absoluti spatii et singulari, de quo infra dicemus, vi praediti.

3. Hisce quantum licuit evictis, expedita nobis via patet ad indagandam τοῦ τόπου ἰδίου naturam. Iam enim ipsa ratio disceptationis docet, si communis loci proprium sit, *omnia* complecti corpora, proprii s. singularis esse, *singulas* quasque res circumscribere ita ut sit individualis quodammodo universalis spatii manifestatio, quam nos dicimus „Ort" [51]. Ex quo Aristoteles, ut e locali φορᾷ motus [52], ita spatii omnino existentiam ac veritatem derivat [53].

Iam vero ut planius fiat, locum esse spatii individualem quasi repraesentationem, audiamus Aristotelem, qui sic loquitur: *σὺ νῦν ἐν τῷ οὐρανῷ ὅτι ἐν τῷ ἀέρι, καὶ ἐν ταύτῃ ὅτι ἐν τῷδε τῷ τόπῳ, ὃς περιέχει οὐδὲν πλέον ἢ σε κτλ.* (Phys. IV, 1.); — *καὶ ἐν τῷ ἀέρι δὲ οὐκ ἐν παντί, ἀλλὰ διὰ τὸ ἔσχατον αὐτοῦ καὶ περιέχον ἐν τῷ ἀέρι φαμὲν εἶναι· εἰ γὰρ ἅπας ὁ ἀὴρ τόπος, οὐκ ἂν ἴσος εἴη ἑκάστου ὁ τόπος καὶ ἕκαστον. δοκεῖ δέ γε ἴσος εἶναι. τοιοῦτος δ' ὁ πρῶτος ἐν ᾧ ἐστιν* (c. 4).

4. Sed iam satis est nobis de spatio dictum, ut nonnullas ei dubitationes admoveamus. Aristoteli enim in tota, quam de loco instituit, disputatione id maximae est curae, ut spatium quum diversum esse ac separandum a corporibus corporumque vel forma vel materia vel habitu qualicunque, tum per se absque corpore comprehensum tribus dimensionibus constare, et moto corpore immotum remanere ostendat. Quae ponens Aristoteles, miris admodum captionibus

---

51) h. e. *specificatum s. concretum spatium*, der specificirte oder concrete Raum, τὸ ποῦ.

52) *καὶ τῆς κινήσεως ἡ κοινὴ μάλιστα καὶ κυριωτάτη κατὰ τόπον ἐστίν, ἣν καλοῦμεν φοράν.*

53) c. 1: *τὰ ὄντα πάντες ὑπολαμβάνουσιν εἶναί που.*

difficultatibusque implicatur. Locus enim nec corporeis constare nec intellectualibus (ἀσωμάτοις, νοητοῖς) elementis et tamen aliquid esse dicitur [54]) per se subsistens, quod amoto corpore esse non desinat [55]), contra adeo habeat aliquam praeter corpora veritatem, ut, illorum motibus non obnoxium, separetur ab iis (χωριστὸς ὁ τόπος ἑκάστου ἐστίν). Igitur quum ab una parte e corporea mole non pendeat planeque expers substantiae ponatur, ab altera Aristoteles adeo rursus tollit illam quasi abstractam eius naturam, vix ut sibi constans esse videatur. Nam quod tribus pollet dimensionibus nec tamen cum vacuo intervallo (τῷ κενῷ) esse confundendum inculcatur, — quod, ipso quamvis abducto corpore, remanet [56]), — quod porro quum arctissime *tangat* rem (ἁπτόμενόν ἐστι) tum ut vas superficiesque eam *continet* (οἷον ἀγγεῖον περιέχον), — in quo ita coruscant quasi (παρεμφαίνονται) forma et materia rerum, ut difficile sit, ab his illud, distinguere, — quod, mobilibus quibuslibet corporibus, stabilem immotamque tenet positionem, — quod denique δύναμιν quandam vimque exserit corpora sursum deorsumque ferentem [57]), — nonne id apertam prae se fert substantiae speciem? Cave tamen ex istis praepropere concludas, Aristotelem substantiale sibi spatium finxisse. Hoc enim etsi ab inanitate secernit, ita tamen omni substantiali forma exsolvit, ut spatium a corporibus seiunctum omnino existere neget [58]). Quo fit ut Aristotelis illa sententia, locum, quamvis

---

54) ἔστι τι ὁ τόπος παρὰ τὰ σώματα.

55) οὐ γὰρ ἀπόλλυται ὁ τόπος τῶν ἐν αὐτῷ φθειρομένων.

56) οὐ γὰρ ἀπόλλυται ὁ τόπος τῶν ἐν αὐτῷ φθειρομένων Phys. IV, 1.

57) Aristoteles postquam, esse locum, e mutua corporum consequentia concludit, e gravium leviumque corporum motu non solum ὅτι ἐστί τι ὁ τόπος, verum etiam ὅτι ἔχει τινὰ δύναμιν evincit. Idem plane reliquis comprobatur locis omnibus, quibus edocetur, ad suum quodque corpus locum ferri, ita ut diversae spatii partes vi valeant corpora sibi affinia et ad suum pertinentia circuitum ad se trahendi.

58) Quod praeter loci corpore destituti confutationem e disertis

abducto corpore, remanere, nihil diutius offensionis habeat. Vult enim hoc indicare, locum, quamvis adeo cum materia coniunctum, ut absque ea esse nequeat, tamen cum singulis loco motis corporibus simul non moveri. Quod autem dicit,

---

liquet ipsius his verbis: ἔτι εἴπερ ἐστὶ σώματός τόπος καὶ χώρα, δηλόνότι καὶ ἐπιφανείας, καὶ τῶν λοιπῶν περάτων . . . ἀλλὰ μὴν διαφορὰν οὐδεμίαν ἔχομεν στιγμῆς καὶ τόπον στιγμῆς. ὥστ' εἰ μηδὲ ταύτης ἐστὶν ὁ τόπος ἕτερος, οὐδὲ τῶν ἄλλων οὐθενὸς οὐδ' ἐστί τι παρ' ἕκαστον τούτων ὁ τόπος (IV, 1). Sed obiecerit fortasse aliquis, locum Phys. IV. c. 1: ὅτι μέν ἐστί τι ὁ τόπος, παρὰ τὰ σώματα, καὶ πᾶν σῶμα αἰσθητὸν ἐν τόπῳ, διὰ τούτων ἄν τις ὑπολάβοι. δόξειε δ' ἂν καὶ Ἡσίοδος ὀρθῶς λέγειν ποιήσας πρῶτον τὸ χάος. λέγει γοῦν
„Πάντων μὲν πρώτιστα χάος γένετ' αὐτὰρ ἔπειτα Γαῖ' εὐρύστερνος.“
ὡς δέον πρῶτον ὑπάρξαι χώραν τοῖς οὖσι, διὰ τὸ νομίζειν, ὥσπερ οἱ πολλοὶ, πάντα εἶναί που καὶ ἐν τόπῳ. εἰ δ' ἐστὶ τοιοῦτον, θαυμαστή τις ἂν εἴη ἡ τοῦ τόπου δύναμις καὶ πρότερα πάντων· οὗ γὰρ ἄνευ τῶν ἄλλων οὐδέν ἐστιν, ἐκεῖνο δ' ἄνευ τῶν ἄλλων, ἀνάγκη πρῶτον εἶναι· οὐ γὰρ ἀπόλλυται ὁ τόπος τῶν ἐν αὐτῷ φθειρομένων. Unde non desunt qui colligant, Aristotelem Hesiodo, chaos, quod idem esse ac locum asserit (cf. quae hac de re doctissimus iudicavit et ex variis collegit scholiis Brandisius: Griech.-Röm. Philos. I. Thl. p. 71. n. c.), ante res omnes iam exstitisse canenti, adstipulari eique assentientem credere, locum et mirabili admodum vi praeditum esse et rerum universitate priorem antiquioremque. At qui tale quid ex illis verbis efficiunt (inter quos praecipue O. F. Gruppius: Wendepunkt der Philos. im XIX. Jahrh. Berlin 1834), contra principem interpretationis regulam peccant quippe orationis nexum praetermittentes. Illic enim Aristoteles id agit, ut negativo quodam argumento locum esse confirmet. Quapropter eorum facit mentionem, qui τὸ κενὸν pro loco habuere, unde intelligatur, locum et esse et praeter corpora existere. Quibus dictis supra citato loco ita pergit, ut ex eorum opinione, qui vacuum statuerint, Hesiodi auctoritatem adhibeat, quippe qui τὸ χάος s. τὸ κενὸν antecessisse mundi aedificationem vaticinatus sit, utque huius finem faciens argumentationis fateatur, *si verum esset* illud cuncta antecedens spatium, mira profecto *foret* (ἂν εἴη) spatii vis omnibusque prior. Hoc autem longissime ab Aristotelis discedere sententia praeter loci tenorem innumera eiusdem libri effata probant, e quibus vacuum quodcunque intervallum confictum esse evincitur.

locum habere speciem quandam formae ac materiae, id non ex ipsius persuasione, sed e vulgi sententia profert, ut ostendat, quanta opus sit in loco contemplando diligentia et subtilitate. Quibus si adiunxeris, quae plurima exstant, testimonia spatium segregatum esse a mole corporea, vixdum dubitabis, quin Aristoteles locum substantialem negaverit, materiam vero semper ei subiectam esse censuerit. Accedunt huc alia nonnulla. Nam quum locus sit extremus terminus continentis corporis, facile in hanc aliquis sententiam ducitur, ut existimet, eum aut formam esse corporis aut meram contemplantis animi relationem. Sic enim de coelo IV, c. 3 legimus: *τὰ δ' εἰς τὸν αὑτοῦ τόπον φέρεσθαι ἕκαστον τὸ εἰς τὸ αὑτοῦ εἶδός ἐστι φέρεσθαι*, et ibidem: *ἐπεὶ δ' ὁ τόπος ἐστὶ τὸ τοῦ περιέχοντος πέρας, περιέχει δὲ πάντα τὰ κινούμενα ἄνω καὶ κάτω τό τε ἔσχατον καὶ τὸ μέσον, τοῦτο δὲ τρόπον τινὰ γίγνεται τὸ εἶδος τοῦ περιεχομένου … ἀεὶ γὰρ τὸ ἀνώτερον πρὸς τὸ ὑφ' αὑτὸ ὡς εἶδος πρὸς ὕλην, οὕτως ἔχει πρὰς ἄλληλα*, et denique c. 4: *διὸ τοῦτο ἐστί τι καὶ ἄλλο βαρὺ καὶ κοῦφον, οἷον ὕδωρ καὶ ἀήρ· φαμὲν δὲ τὸ μὲν περιέχον τοῦ εἴδους εἶναι, τὸ δὲ περιεχόμενον τῆς ὕλης . . . καὶ γὰρ ἐν τῷ ποιῷ καὶ ἐν τῷ ποσῷ ἐστὶ το μὲν ὡς εἶδος μᾶλλον, τὸ δ' ὡς ὕλη. καὶ ἐν τοῖς κατὰ τόπον ὡσαύτως τὸ μὲν ἄνω τοῦ ὡρισμένου, τὸ δὲ κάτω τῆς ὕλης* (cf. Phys. IV, 5); quanquam Aristoteles aliis eisque non paucis locis velut Phys. IV. c. 2: *ὥστε οὔτε μόριον, οὔτε ἕξις, ἀλλὰ χωριστὸς ὁ τόπος ἐστίν …. ταύτῃ μὲν οὐκ ἔστι τὸ εἶδος* idem diserte repellit. Quae iuste comparanti mihi hoc fere Aristoteles significare videtur, locum, quamvis ipsa non sit rerum forma, tamen extrinsecus definire et quasi (*ὡς εἶδος μᾶλλον*) confirmare determinareque formam rerum, ita ut spatium *universum mundi ordinem* constituat eiusque diversas partes coniunctas teneat. Indidem liquet, alterum illud, quod spatium mera esse mentis relatio dicitur, assumi non posse, quippe cui nullam istiusmodi vim tribuere liceat. Quorsus non solum terna loci dimensio pertinet, sed etiam divisio eius in duas pluresve vi

quadam praeditas partes. Nam quod corpora pro levitate et gravitate aut sursum feruntur aut deorsum, id spatii tam proprium est, ut duo ista superi et inferi discrimina certam et absolute contrariam loci diversitatem efficiant nec sint solae animi conferentis informationes. Patet hoc e libri de coelo IV, c. 4: *διὸ καὶ εὐλόγως τὸ βαρὺ καὶ κοῦφον δύο ἐστίν· καὶ γὰρ οἱ τόποι δύο, τὸ μέσον, καὶ τὸ ἔσχατον.* Phys. ausc. IV, 1: *φέρεται γὰρ ἕκαστον εἰς τὸν αὑτὸν τόπον μὴ κωλυόμενον, τὸ μὲν ἄνω, τὸ δὲ κάτω. ταῦτα δ' ἐστὶ τόπου μέρη καὶ εἴδη, τό τε ἄνω καὶ τὸ κάτω καὶ αἱ λοιπαὶ τῶν ἕξ διαστάσεων, ἔστι δὲ τὰ τοιαῦτα οὐ μόνον πρὸς ἡμᾶς τὸ δεξιὸν καὶ τὸ ἀριστερὸν καὶ τὸ ἄνω καὶ τὸ κάτω· ἡμῖν γὰρ οὐκ ἀεὶ τὸ αὐτό, ἀλλὰ κατὰ τὴν θέσιν, ὅπως ἂν στραφῶμεν, γίγνεται. διὸ ταὐτὸ πολλάκις δεξιὸν καὶ ἀριστερόν ἐστι, καὶ ἄνω καὶ κάτω καὶ πρόσθεν καὶ ὄπισθεν. ἐν δὲ τῇ φύσει διώρισται χωρὶς ἕκαστον. οὐ γὰρ ὅ,τι ἔτυχε τὸ ἄνω ἐστίν, ἀλλ' ὅπου φέρεται τὸ πῦρ καὶ τὸ κοῦφον, ὁμοίως δὲ καὶ τὸ κάτω, οὐχ ὅ,τι ἔτυχεν ἀλλ' ὅπου τὰ ἔχοντα βάρος καὶ τὰ γεηρά ὡς οὐ τῇ θέσει διαφέροντα μόνον ἀλλὰ καὶ τῇ δυνάμει. κτλ.* Planius etiam e libr. III c. 5: *πᾶν σῶμα αἰσθητὸν ἐν τόπῳ, τόπου δὲ εἴδη καὶ διαφοραὶ τὸ ἄνω καὶ κάτω.... καὶ ταῦτα οὐ μόνον πρὸς ἡμᾶς καὶ θέσει, ἀλλὰ καὶ ἐν αὐτῷ τῷ ὅλῳ διώρισται.* Porro, ubi de duobus loquitur mundi polis, de coel. II, 2: *λέγω δὲ μῆκος* (sc. *τοῦ ὅλου*) *τὸ κατὰ τοὺς πόλους διάστημα καὶ τῶν πόλων τὸν μὲν ἄνω τὸν δὲ κάτω· διαφορὰν γὰρ ἐν τούτοις μόνοις ὁρῶμεν τῶν ἡμισφαιρίων τῷ μὴ κινεῖσθαι τοὺς πόλους .... τῶν δὲ πόλων ὁ μὲν ὑπὲρ ἡμᾶς φαινόμενος τὸ κάτω μέρος ἐστίν, ὁ δ' ἡμῖν ἄδηλος τὸ ἄνω,* et postquam localem motum a dextris incepisse et ad dextras revolvi ostendit sic pergit: *καὶ οἱ μὲν ἐκεῖ οἰκοῦντες ἐν τῷ ἄνω εἰσὶν ἡμισφαιρίῳ καὶ πρὸς τοῖς δεξιοῖς, ἡμεῖς δ' ἐν τῷ κάτω καὶ πρὸς τοῖς ἀριστεροῖς.* Ex quibus omnibus manifestum est, plures spatio inesse differentias, quarum principes *τὸ ἄνω καὶ κάτω*, firmis stabilitae

fixaeque regionibus, cum loco tam arcte cohaereant, ut huius aeterna ac gravissima momenta constituant et quasi norma causaque fiant cuiusvis alius contrarietatis [59]). Ob eandem stabilitatem diversitatemque Aristoteles spatio quum virtutem (*δύναμιν*) corpora sursum deorsumve trahendi tum naturam *immotam* (*ἀκίνητον*) tribuit.

5) Neque dubium est, qualis sit *loci immobilitas*. Nam ita eam non esse accipiendam, quasi unumquodque corpus semper eadem ambeatur in eodem loco superficie, ut immobili cuncta torpore obrigescant, notatione vix dignum est. Constat inter nos, spatium universi mundi ordinem constituere, ita ut ad suum quidque locum trahat, omniaque occupet, contineat et ubicunque sint, circumscribat. Quum igitur legimus *ἔστι ὁ τόπος ἀγγεῖον ἀμετακίνητον* — *βούλεται ἀκίνητον εἶναι ὁ τόπος* — *ὥστε τὸ τοῦ περιέχοντος πέρας ἀκίνητον πρῶτον τοῦτ' ἔστιν ὁ τόπος*, — (V, 1) *οὔτε γὰρ κινεῖ οὔτε κινεῖται τὸ εἶδος ἢ ὁ τόπος ἢ τὸ τοσόνδε* alia permulta, haec idem sonant ac: spatium sic est comparatum, ut coerceat, complectatur circumcludatque semper corpora, quae ne uno quidem momento non esse circumcincta queant. Cui si illud addideris, quod in suo quidque loco versatur, intelliges, spatii immobilitatem in aequali, quem locus in mundo constituit, stabilique rerum omnium ordine contineri. Neque est idcirco, quod miremur, eam maxime in immobilibus superi inferique regionibus verti [60]),

---

59) Est enim in Cat. VI: *μάλιστα δὲ ἡ ἐναντιότης τοῦ ποσοῦ περὶ τὸν τόπον δοκεῖ ὑπάρχειν. τὸ γὰρ ἄνω τῷ κάτω ἐναντίον τιθέασι, τὴν πρὸς τὸ μέσον χώραν κάτω λέγοντες, διὰ τὸ πλείστης τῷ μέσῳ διάστασιν πρὸς τὰ πέρατα τοῦ κόσμου εἶναι. ἐοίκασι δὲ καὶ τὸν τῶν ἄλλων, ἐναντίων ὁρισμὸν ἀπὸ τούτων ἐπιφέρειν. τὰ γὰρ πλεῖστον ἀλλήλων διεστηκότα τῶν ἐν τῷ αὐτῷ γένει ἐναντία ὁρίζονται.* Neque vero verba: *δοκεῖ* — *τιθέασι* — *λέγοντες, ἐοίκασι* offendunt. Licuit enim Aristoteli illo in libro tam restricte loqui et ex vulgari sententia proferre, quae in altiori veritate evincere alius operis et instituti fuit, ubi de rerum principiis agebat.

60) Cf. de mundo 3: *μετὰ δὲ ταύτην ἐν τοῖς βυθοῖς κατὰ τὸ*

quum gravia quaeque ad coeli medium *semper immotum*, levia ad ultimam *immutabilemque* coelestis sphaerae superficiem ferantur. Sed haec hactenus.

6) Superest ut pauca quae restant de *singulae rei loco* subiungamus. Vult enim Aristoteles, continuae cuiusque rei partes in loco non esse nisi *κατὰ δύναμιν*, contigua autem ac se invicem tangentia *κατ' ἐνέργειαν*. Quae ut percenseamus, necesse est in continui (*τοῦ συνεχοῦς καὶ ὁμοιομεροῦς*) et contigui (*ἁπτομένου* s. *ἁφῆς*) discrimine examinando paullisper subsistamus. *Continuum*, ut ait Aristoteles, id est, quod haeret („*τὸ δὲ συνεχές ἐστι μὲν ὅπερ ἐχόμενόν τι*“ Phys. V, 3), cuius ex extremis sese tangentibus unum idem-

---

μεσαίτατον τοῦ κόσμου συνερηρεισμένη γῆ πᾶσα καὶ περιεσμένη συνέστηκεν, ἀκίνητος καὶ ἀσάλευτος καὶ τοῦτ' ἔστι τοῦ κόσμου τὸ πᾶν (?), *ὃ καλοῦμεν κάτω*, ibid. 2: *τοῦ δὲ κόσμου τὸ μὲν μέσον ἀκίνητόν τε ὂν καὶ ἑδραῖον, ἡ φερέσβιος εἴληχε γῆ.* Quae quidem testimonia eo nihil labefactari puto, quod plus quam probabile est, librum istum ab Aristotele abiudicandum, et primorum tempore Ptolemaeorum conscriptum fuisse (cf. Brandis Griech.-Röm. Philos. I. Bd. S. 152. A. t, et Schleiermacher: Heracleitos der Dunkle v. Ephesus im Mus. der Altth.-Wissch. I, 3, Berlin 1808, p. 322). Nam quum plurima illius libri apertum Aristotelicae doctrinae indicium prae se ferunt, tum res istis locis confirmata novam accipit fidei accessionem ex aliis locis, veluti Phys. IV, 4: *τὸ μέσον τοῦ οὐρανοῦ καὶ τὸ ἔσχατον . . . δοκεῖ εἶναι τὸ μὲν ἄνω τὸ δὲ κάτω μάλιστα πᾶσι κυρίως, ὅτι τὸ μὲν ἀεὶ μένει, τοῦ δὲ κύκλου τὸ ἔσχατον ὡσαύτως ἔχον μένει* (f. *ἐχόμενον*), ibid. c. 5: *ἔστι δὲ ὁ τόπος οὐχ ὁ οὐρανὸς ἀλλὰ τοῦ οὐρανοῦ τι τὸ ἔσχατον καὶ ἁπτόμενον τοῦ κινητοῦ σώματος πέρας ἠρεμοῦν*, et loci supra laudati de coel. II, 2. verba *τῷ μὴ κινεῖσθαι τοὺς πόλους.* Confer cum his Simplicii (f. 136, b) hac de re verba: *ὅτι ἀκίνητος ὁ τόπος, συνίστησι καὶ ἐκ τοῦ τόπου κυριωτάτων διαφορῶν· αὗται δὲ ἦσαν, ὡς εἴρηται πρότερον τό τε ἄνω καὶ τὸ κάτω. καί μοι δοκεῖ, τοιοῦτόν τινα συνάγειν συλλογισμόν· ὁ τόπος διαφορὰς ἔχει τὸ ἄνω καὶ τὸ κάτω, τὸ διαφορὰς ἔχον τὸ ἄνω καὶ τὸ κάτω τὸ μέσον καὶ τὸ ἔσχατον ἔχει διαφοράς, τὸ διαφορὰς ἔχον τὸ μέσον καὶ τὸ ἔσχατον ἀκινήτους ἔχει διαφοράς, τὸ ἀκινήτους ἔχον διαφορὰς ἀκίνητόν ἐστιν, ὁ τόπος ἄρα ἀκίνητός ἐστιν.*

que factum est [61]) vel cuius partium unus et communis terminus [62]); *contigua* vero ea dicuntur, quorum extrema simul sunt (*ἅπτεσθαι δὲ ὧν τὰ ἄκρα ἅμα*, ibid.). Totum igitur, si quod est, discrimen in eo versari debet, quod continui (*ἐχομένου*) *πέρατα* sive *ἄκρα* non discernuntur sed unum fiunt, fines autem contigui (*ἁπτομένου*) simul sunt. Atqui ne contigui quidem extrema discernuntur sed in unum conveniunt, siquidem *cohaerent* ac se *tangunt*. Accedit quod *τὸ ἐχόμενον* (ergo continuum quoque) ita definitur, ut sit id, quod deinceps se *tangat* [63]), ut quae definitio cum contiguitatis notione congruat. Denique contiguum id dicitur, cuius fines sunt *simul loco*; huiusmodi vero ea sunt, quae in uno primo atque aequali loco versantur [64]), qui rursus continui est [65]). Adeo Aristoteles, ad probandam istam distinctionem subtilissimam, in orbem agitur. Quare, quid de discrimine loci *κατὰ δύναμιν* et *κατ᾽ ἐνέργειαν* sentiamus, incertum diutius esse nequit, praesertim quum Aristoteles in Categ. 6. non dubitaverit, etiam partibus rei quibuscunque locum vindicare [66]).

Tantum nunc de spatio. Valde enim ingravescent du-

---

61) *ὅταν ταὐτὸ γένηται καὶ ἓν τὸ ἑκατέρου πέρας, οἷς ἅπτονται καὶ ὥσπερ σημαίνει τοὔνομα συνέχηται*: Phys. V, 3.

62) *τὰ μόρια πρὸς ἕνα κοινὸν. ὅρον συνάπτει* ibid. (cf. categ. 6. et Met. XI, 12).

63) *ἐχόμενον δὲ ὃ ἂν ἐφεξῆς ὂν ἅπτηται* ibid.

64) *ἅμα μὲν λέγεται ταῦτ᾽ εἶναι κατὰ τόπον, ὅσα ἐν ἑνὶ τόπῳ ἐστὶ πρώτῳ* ibid.

65) Phys. I, 2: *λέγεται δ᾽ ἓν ᾗ τὸ συνεχές κτλ.* Simplic. ad Phys. f. 203 b: *τίς ὁ εἷς τόπος — διακριτέον. εἷς μὲν οὖν ἐστίν, ὥς φησιν Ἀλέξανδρος, ὁ μὴ διῃρημένος ἀλλὰ συνεχὴς τῷ καὶ αὐτὰ ἅμα λεγόμενα ἐν τόπῳ συνεχῆ .ἀλλήλοις εἶναι, ὡς τὰ τοῦ συνεχοῦς μέρη* cf. Met. V, 6: *τῶν δὲ καθ᾽ ἑαυτὰ ἓν λεγομένων τὰ μὲν λέγεται τῷ συνεχῆ εἶναι κτλ.* Met. X, 1.

66) *τόπον γάρ τινα τὰ τοῦ σώματος μόρια κατέχει, ἃ πρός τινα κοινὸν ὅρον συνάπτει· οὐκοῦν καὶ τὰ τοῦ τόπου μόρια, ἃ κατέχει ἕκαστον τῶν τοῦ σώματος μορίων, πρὸς τὸν αὐτὸν ὅρον συνάπτει, πρὸς ὅν καὶ τὰ τοῦ σώματος μορία.*

bitationes, additis nonnullis ab Aristotele vel praetermissis vel levius tractatis. Quid enim, si spatii a corpore seiunctio nil est nisi abstrahentis animi fraus ac ludibrium, si locus nil nisi forma quaedam apparentis substantiae? Quid si non modo continua corpora in loco versantur, sed quantulacunque etiam materiae particula, immo si ipsa dicendi ratio: „res in loco seu spatio est“ tanquam in re ab ipso corpore diversa, corruit? Quid denique si non omne spatium tribus est dimensionibus praeditum, sed una tantummodo eius species, ac si quot essentiae tot spatii modos esse demonstrabimus? Quas interrogatiunculas priusquam ponderare et dissolvere conemur, in tempore examinando immorari par est.

§. 5.

Aristotelis de tempore doctrina in examen vocatur.

1) Tempus, quod tertia infinito spatioque adiungitur motus conditio, tantam exhibet cum loco cognationem, ut cum Stagirita dicere liceat: *χωρὶς ἀλλήλων οὐ ῥᾴδιον αὐτὰ γνωρίζειν.* Est enim, spatii instar, tempus continuum [67], dividuum [68] omniaque continens [69]; ad haec, ut in spatio,

---

67) *ἔστι δὲ καὶ ὁ χρόνος καὶ ὁ τόπος τῶν συνεχῶν· ὁ γὰρ νῦν χρόνος συνάπτει πρὸς τὸν παρεληλυθότα καὶ τὸν μέλλοντα,* Categ. 6; cf. de Gen. et corr. II, 10: *μεγέθους τοῦ κύκλῳ μόνον συνεχές, ὥστε αὐτὸ αὑτῷ ἀεὶ συνεχές· τοῦτο ἄρα ἐστὶν ὃ ποιεῖ συνεχῆ κίνησιν τὸ κύκλῳ σῶμα φερόμενον· ἡ δὲ κίνησις τὸν χρόνον κτλ.*

68) *καὶ συνεχής τε δὴ ὁ χρόνος τῷ νῦν καὶ διῄρηται κατὰ τὸ νῦν· ἀκολουθεῖ γὰρ καὶ τοῦτο τῇ φορᾷ κτλ.* Phys. V, 3; cf. VI, 1 et 3: *εἰ ὁ χρόνος τὸ μεταξὺ τῶν περάτων, διαιρετὸς ἔσται· πᾶς γὰρ χρόνος δέδεικται ὅτι διαιρετός.* Phys. IV, 11: *ἐπεὶ τὸ κινούμενον κινεῖται ἔκ τινος εἴς τι, καὶ πᾶν μέγεθος συνεχές, ἀκολουθεῖ τῷ μεγέθει ἡ κίνησις· διὰ γὰρ τὸ μέγεθος εἶναι συνεχὲς καὶ ἡ κίνησίς ἐστι συνεχής, διὰ δὲ τὴν κίνησιν ὁ χρόνος κτλ.* cf. c. 12 et 13, VI, 1—4; V, 4; VIII, 6.

69) *ἀνάγκη πάντα τὰ ἐν χρόνῳ ὄντα περιέχεσθαι ὑπὸ τοῦ χρόνου, ὥσπερ καὶ τἆλλα ὅσα ἔν τινί ἐστιν· οἷον τὰ ἐν τῷ τόπῳ ὑπὸ τοῦ τόπου.*

ita in tempore prius aliud, aliud posterius [70]), quorum terminus seu finis illic punctum, hic τὸ νῦν est. Hinc satis agnoscitur, non fugisse Aristotelem, tempus quaedam (eaque in externa apparitione sita) cum spatio communia habere. Iam igitur ad ipsam temporis definitionem accedamus. Quaeritur, cur hanc Aristoteles in *numero* motus posuerit? Existimat sane, quin ipso constet motu tempus, id eo prohiberi, quod motus versetur in mota quadam materia illi subiecta, tempus vero ubique et in omnibus sit [71]). Quasi etiam tempus esse posset absque motu, cuius numerus dicitur. Ab aeterno enim et incorporeo tempus planis verbis excluditur. Alterum, quo utitur, argumentum hoc est, motum quemlibet aut citiorem esse aut tardiorem, tempus vero eundem semper cursum tenere. Quid autem est celeritas quidque tarditas praeter motum, quem *temporis* brevitate aut diuturnitate metiti sumus? Annon tempus quoque modo celeriter modo lente elabi ac praeterire dicimus? Quod utcunque se habet, planum est, celeritatem tarditatemque adeo a tempore non esse alienas, ut motus per se propriae sint, temporis autem minus [72]). In tota hac argumentatione Aristoteles,

70) Phys. IV, 11: *ἐπεὶ δ' ἐν τῷ μεγέθει ἐστὶ τὸ πρότερον καὶ τὸ ὕστερον, ἀνάγκη καὶ ἐν κινήσει εἶναι τὸ πρότερον καὶ ὕστερον. ἀλλὰ μὴν καὶ ἐν χρόνῳ ἐστὶ τὸ πρότερον καὶ ὕστερον διὰ τὸ ἀκολουθεῖν ἀεὶ θατέρῳ θάτερον αὐτῶν.*

71) *ἡ μὲν οὖν ἑκάστου μεταβολὴ καὶ κίνησις ἐν αὐτῷ τῷ μεταβάλλοντί ἐστι μόνον . . . . ὁ δὲ χρόνος ὁμοίως καὶ πανταχοῦ καὶ παρὰ πᾶσιν.*

72) Nonnullius erit momenti, ex Aristotele hic quaedam proferre, e quibus cognitum fiat, ne illum quidem firmissime distinctionem temporis a motu tenuisse. Nam ubi de singulari, qua tempus polleat, vi conficiendi disserit, haec facit verba: *ἀριθμὸς γὰρ κινήσεως* (sc. *ὁ χρόνος*)· *ἡ δὲ κίνησις ἐξίστησι τὸ ὑπάρχον* i. e propterea tempus interire omnia facit, quod est motus numerus; motus enim res dimovet et quasi extrudit. Verumtamen num iam inde, quod motus eiusmodi facultate praeditus est, sequitur, idem in tempus cadere, merum scilicet numerum motus a mente suspensum? Huc accedit totum capitis 11. (libri IV. Phys.) initium ubi parem motus et temporis ra-

quippe naturae principia indagans, ita tempus comprehendit, ut se menti praebet; unde factum est, ut pro ipso tempore temporis perceptionem perquireret. Potuit profecto, immo debuit huius quoque iusta ratio duci, nisi id cum obiectivae τοῦ χρόνου considerationis detrimento fieret. Aristoteles autem semel a vero digressus adeo aberravit, ut sine animo nullum omnino tempus existere doceret. Nec tamen difficile est, aliquae in eius commentatione vestigia deprehendere, quae probant, ne ipsum quidem hac de re persuasissimum fuisse: Primum enim haud raro de tempore loquitur tanquam de re per se subsistente et, sicut spatium, in natura rerum posita. Apertum est hoc ex iis, quae de temporis amplitudine virtuteque traduntur. Est enim tempus magnitudo quaedam omnes superans res (ἔστι γὰρ χρόνος τις πλείων, ὃς ὑπερέξει τοῦ εἶναι αὐτῶν (sc. ὅσα φθαρτὰ καὶ γεννητά) καὶ τοῦ μετροῦντος τὴν οὐσίαν, c. 12, et ληφθήσεταί τις πλείων χρόνος παντὸς τοῦ ἐν χρόνῳ ὄντος, ibid.), cui vel tanta asciscitur ἐνέργεια, ut corpora non modo contineat, sed etiam afficiat, corrumpat, dissolvat et sit vis ad subvertenda omnia efficacissima [73]). Ita legimus in cap. 12: διὸ ἀνάγκη πάντα ἐν χρόνῳ ὄντα περιέχεσθαι ὑπὸ τοῦ χρόνου, ὥσπερ καὶ τἆλλα ὅσα ἔν τινι ἐστίν . . . . καὶ πάσχειν δή τι ὑπὸ τοῦ χρόνου, καθάπερ καὶ λέγειν εἰώθαμεν

---

tionem esse probat. Pluris autem facienda est, quam cap. 14. profert, enuntiatio: καὶ γὰρ γίνεται ἐν χρόνῳ καὶ φθείρεται καὶ αὐξάνεται καὶ ἀλλοιοῦται ἐν χρόνῳ καὶ φέρεται· ᾗ οὖν κίνησίς ἐστι, ταύτῃ κτλ., ubi tempus quodam certe sensu motus esse dicitur. Porro tempus motum metitur simulque legimus eum motum, qui in orbem flectatur, ceteros quoscunque motus metiri; nonne igitur hanc motus speciem (κυκλοφορίαν) idem esse quam tempus oportet?

73) Singularis hic Stagiritae error mirum est quantum pervulgatam Platonis de tempore intelligentiam in memoriam revocet, ut qui tempori ὑποστασίαν quandam assignet procreatam per idearum a semet ipsis defectionem. Sophocles ultra Aristotelem procedit his versibus: ἅπανθ' ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος
φύει τἄδηλα καὶ φανέντα κρύπτεται.
Aiax v. 627.

ὅτι κατατήκει ὁ χρόνος καὶ γηράσκει πάνθ' ὑπὸ τοῦ χρόνου καὶ ἐπιλανθάνεται διὰ τὸν χρόνον· ἀλλ' οὐ μεμάθηκεν, οὐδὲ νέον γέγονεν οὐδὲ καλόν· φθορᾶς γὰρ αἴτιος καθ' αὑτὸν μᾶλλον ὁ χρόνος· ἀριθμὸς γὰρ κινήσεως· ἡ δὲ κίνησις ἐξίστησι τὸ ὑπάρχον. Si quis autem extremo c. 13. meam impugnari sententiam putat, pauca sufficient, ut convincatur, totum inde a verbis μεταβολὴ δὲ πᾶσα φύσει ἐκστατικὸν usque ad ἀλλὰ συμβαίνει ἐν χρόνῳ γίνεσθαι καὶ ταύτην τὴν μεταβολὴν locum nil esse nisi interpretis, Aristotelem aut parum intelligentis aut defensuri quodammodo, interpolationem. Vel primo enim aspectu cognoscitur, locum illum supra laudati (cap. 12) non modo similem esse, sed etiam ita cum eo multis ex partibus fere eundem, ut partim e supervacanea rerum iam pertractatarum repetitione partim ex harum interpretatione constet. Sed plus etiam, si singulas perpenderis partes, suspicionis concipies. Iam in primo statim enuntiato: „ἐν δὲ τῷ χρόνῳ πάντα γίνεται καὶ φθείρεται· διὸ καὶ οἱ μὲν σοφώτατον ἔλεγον, ὁ δὲ Πυθαγόρειος Πάρων ἀμαθέστατον, ὅτι καὶ ἐπιλανθάνονται ἐν τούτῳ, λέγων ὀρθότερον" prae omnibus offendit Pythagoreus Paro, de quo omnes tacent vetustatis fontes. Cuius rei ad societatem aliud idque gravius argumentum accedit, unde nomen illud ex errore videtur aliquo et interpolatoris ignorantia profluxisse. Simplicius enim (f. 178, b) ad locum istum haec verba tradidit: Ὁ δὲ Πυθαγόρειος Πάρων ἔοικεν εἶναι οὗ καὶ Εὔδημος ἀνωνύμως ἐμνήσθη, λέγων ἐν Ὀλυμπίᾳ Σιμωνίδου τὸν χρόνον ἐπαινοῦντος ὡς σοφώτατον εἴπερ ἐν αὐτῷ αἱ μαθήσεις γίνονται καὶ αἱ ἀναμνήσεις, παρόντα τινὰ τῶν σοφῶν εἰπεῖν, τί δέ, ὦ Σιμωνίδη; οὐκ ἐπιλανθανόμεθα μέντοι ἐν τῷ χρόνῳ; Quis non suspicetur, haec eundem vel consimilem prodere fontem, ex quo, quae apud Aristotelem leguntur, manaverint? Nam fieri facile potuit, ut quis interpres παρὼν participium pro nomine haberet. Quod sentiens Simplicius καὶ μήποτε, inquit, καὶ παρὰ Ἀριστοτέλει ἐν τῷ „ὁ δὲ (quis?) Πυθαγόρειος παρων" τὸ παρων οὐκ εἶναι ὄνομα κύριον ἀλλὰ μετοχήν (sc. ὑπολαμβάνω

s. νομίζω). Praeterea non est consuetudo Aristotelis, quum poetae (nedum Simonidis) effatum profert, tam incerte loqui per pluralem numerum (οἱ μὲν) ac proinde eum, qui secus cogitat, nominatim laudare. Nec minoris momenti hoc puto, quod qui Aristotelis singularem cognitam habet et perspicuitatem et argumentorum aptissimam inter se cohaerentiam, vix ei tribuet τὸ „λέγων ὀρθότερον"; nam ubi praemisit, in tempore omnia *et* generari *et* everti, hoc subinde per διὸ particulam documentis aliunde petitis illustrare studet. Quod dum facit, adeo contra omnem exspectationem τῷ φθείρεται et ἀμαθέστατον palmam fert (per λέγων ὀρθότερον), iure ut eius rei quantumvis brevem desideres rationem (velut per γὰρ particulam). Atqui proinde quasi ea intercidisset, sequitur: δῆλον οὖν, ὅτι φθορᾶς μᾶλλον ἔσται καθ' αὑτὸν αἴτιος ἢ γενέσεως. Unde, quaeso, hoc manifestum est? Minime quidem e modo antecedentibus, et tamen οὖν particula finire et concludere solet rei demonstrationem. Porro sunt verba illa mera repetitio e cap. 12. deprompta, quod deprehendens interpolator caute subiunxit: καθάπερ ἐλέχθη καὶ πρότερον. Cui deinde agglutinatur γενέσεως δὲ (nulla antecedente μὲν particula) καὶ τοῦ εἶναι κατὰ συμβεβηκός. Quam sententiam confirmaturus scriptor sic pergit: σημεῖον δὲ ἱκανὸν [74]) ὅτι γίνεται μὲν μηδὲν ἄνευ τοῦ κινεῖσθαί πως αὐτὸ καὶ πράττειν· φθείρεται δὲ καὶ μηδὲν κινούμενον· καὶ ταύτην μάλιστα λέγειν εἰώθαμεν ὑπὸ τοῦ χρόνου φθοράν. Ubi quum perhibeatur, moveri aliquid et agere in ortu, haud semper in interitu, contra Aristotelis haec est doctrina, eandem esse γενέσεως et φθορᾶς rationem [75]). Idem, qui subditicia illa inseruit, scriptor sensisse videtur; subiungit enim: οὐ μὴν ἀλλ' οὐδὲ ταύτην ὁ χρόνος ποιεῖ, ἀλλὰ συμβαίνει ἐν χρόνῳ γίνεσθαι καὶ ταύτην τὴν μεταβολήν. Quid autem ineptius est, quam primum contendere, quaecunque fiant, moveri, non quae pereant, et subinde, quasi corrigens modo dicta adiicere: quae quam-

---

74) Cf. Wolf Dem. Lept. p. 225.

75) Cf. Phys. V, 1. 2. 6; de gen. et corr. II, 10.

vis ita sint (ut tempus sit interitus potius causa), tamen sic se rem habere, ut sit eadem interitus, quae ortus ratio (cf. τὸ „καί“) quippe quum tempore rem interire nil sit nisi *in* tempore id fieri? Nemo profecto est, quin tale quid ab Aristotele tanquam hoc indignissimum abiudicet. Dilucidum est igitur, locum istum cap. 13. interpolatum esse nec quicquam inferre nostrae sententiae offensionis [76]. Quibus disputatis redeundum iam eo est, unde paullisper discessimus. Nam restat aliud documentum, e quo temporis potestas appareat. Praecipua enim, cur aeterna quaevis in tempore non sint [77], causa inde redundare dicitur, quod *οὐ πάσχει οὐδὲν ὑπὸ τοῦ χρόνου τὰ ἀεὶ ὄντα* (c. 12.). Atque *διόπερ οὔτ' ἐν τόπῳ τἀκεῖ* (sc. *τὰ ἔξω τοῦ οὐρανοῦ* s. *τὰ ἀεὶ ὄντα*) *πέφυκεν, οὔτε χρόνος αὐτὰ ποιεῖ γηράσκειν, οὐδ' ἐστὶν οὐδενὸς οὐδεμία μεταβολὴ τῶν ὑπὲρ τὴν ἐξωτάτω τεταγμένων φοράν, ἀλλ' ἀναλλοίωτα καὶ ἀπαθῆ τὴν ἀρίστην ἔχοντα ζωὴν καὶ τὴν αὐταρκεστάτην διατελεῖ τὸν ἅπαντα αἰῶνα.* Ubi nudis plane verbis proponitur, aeterna neque in spatio esse neque in tempore, quippe quod, ut illa senescant, efficere nequeat. Quibus ultro agnoscitur, quaecunque sint in tempore, ea *per tempus ad senectutem provehi.*

2) Consentaneum hic esse puto perquirere, num, quae de temporis vi doceantur, cum reliqua Aristotelis pugnent doctrina. Nam si non pugnant, necessario diversa erit ortus

---

76) Locus hic a nobis reiectus adeo in errorem duxit Ritterum, ut prioris capitis verba planissima pro nihilo habeat, cf. Gesch. der Philos. 3ter Thl. p. 236: „Aristoteles will die Zeit nicht als eine Ursache des Entstehens und Vergehens angesehen wissen, sondern gesteht nur zu, dass in der Zeit auch das Vergehen Statt finde (c. 13). Im vorhergehenden Kapitel spricht Arist. hierüber freilich (!) anders, aber auch unbestimmter (?).“

77) Hanc sententiam Goethe suam facit quum de rerum principiis disserens sic loquitur:

„Göttinnen thronen hehr in Einsamkeit,
Um sie *kein Ort, noch weniger eine Zeit;*
Die Mütter sind es. Faust 2ter Thl. Act. II.

et interitus ratio. Verum multa exstant, quae arctam eorum inter se necessitudinem confirmant. Nam quum et ortus et interitus sit *μεταβολή* quaedam [78]) eorumque tam par ratio [79]), ut *uterque κατὰ συμβεβηκὸς* solum moveatur, *per se* non moveatur [80]); quumque porro eadem afferatur utriusque causa [81]), necesse est utrumque pari modo tempore contineri. Unde apparet, Aristotelem haud temere posse culpa repugnantiae liberari, quum tempus *φθορᾶς* potius quam *γενέσεως* causam esse dicit, nisi quis forte nimium tribuere extenuanti voculae *μᾶλλον* velit. Si autem ita malis rem interpretari, ut sit tempore affici idem quod in tempore affici, quid etiam-

78) Phys. V, 1: *μᾶλλον γὰρ εἰς ὅ, ἢ ἐξ οὗ κινεῖται, ὀνομάζεται ἡ μεταβολή. διὸ καὶ ἡ φθορὰ εἰς τὸ μὴ ὂν μεταβολή ἐστιν.... καὶ ἡ γένεσις εἰς ὄν .... ἡ μὲν ἐξ οὐχ ὑποκειμένου εἰς ὑποκείμενον. μεταβολὴ . . . γένεσίς ἐστι . . . ἡ δ' ἐξ ὑποκειμένου εἰς οὐχ ὑποκείμενον φθορά.* cf. Met. X, 11, quod tamen caput meram esse interpellationem paucis mutatis ex illo Physicorum libro descriptam, latere eum non potest, qui utrumque contulit locum, fugit autem Glaserum, qui in libro: die Metaphys. des Aristot. sic loquitur (p. 48): „der Rest des Buches K ist ein so offenbarer, oft geistloser Auszug aus dem *zweiten* (!) Buche der *φυσικὴ ἀκρόασις*, dass er unmöglich dem Aristoteles zugeschrieben werden kann."

79) Phys. V, 2: *καὶ ἡ γένεσις καὶ ἡ φθορὰ ὡσαύτως*, et c. 6: *καὶ ἐπὶ γενέσεώς τε καὶ φθορᾶς ὁ αὐτὸς λόγος.*

80) ibid.: *ἐπεὶ δὲ πᾶσα κίνησις μεταβολή τις· μεταβολαὶ δὲ τρεῖς αἱ εἰρημέναι· τούτων δὲ αἱ κατὰ γένεσιν καὶ φθορὰν οὐ κινήσεις κτλ.*

81) De gen. et corr. II, 10: *οὐχ ἡ πρώτη φορὰ αἰτία ἐστὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς, ἀλλ' ἡ κατὰ τὸν λοξὸν κύκλον* (sc. *φορά*, quae est species *κινήσεως*)· *ἐν ταύτῃ γὰρ καὶ τὸ συνεχές ἐστι καὶ τὸ κινεῖσθαι δύο κινήσεις· ἀνάγκη γάρ, εἴγε ἀεὶ ἔσται, συνεχὴς γένεσις καὶ φθορά, ἀεὶ μέν τι κινεῖσθαι, ἵνα μὴ ἐπιλείπωσιν αὗται αἱ μεταβολαί, δύο δ' ὅπως μὴ θάτερον συμβαίνῃ μόνον. τῆς μὲν οὖν συνεχείας ἡ τοῦ ὅλου φορὰ αἰτία, τοῦ δὲ προσιέναι καὶ ἀπιέναι ἡ ἔγκλισις . . . . ὁρῶμεν γὰρ ὅτι προσιόντος μὲν τοῦ ἡλίου γένεσίς ἐστιν, ἀπιόντος δὲ φθίσις* (s. *φθορά*) *κτλ.* cf. ibid. I, 1—3; de respir. c. 18.

tum differt inter corruptionem et ortum, quia etiam, quae oriuntur, in tempore fiunt? Quibus addas velim capitis 12 quum verba *ὑπὸ τοῦ χρόνου* et *διὰ τὸν χρόνον* (quae manifesto causam efficientem produnt), tum elocutionem *φθορᾶς γὰρ αἴτιος καθ᾽ αὑτὸν μᾶλλον ὁ χρόνος* et *φθορᾶς μὲν ἔσται καθ᾽ αὑτὸν αἴτιος*. Quae si comprehendimus, tantum certum est, Aristotelem multifariam tempori tribuisse vim et existentiam a mente liberam h. e. obiectivam quandam realitatem. Quae quum ita sint, iure licet apud eum temporis tam obiectivitatem, quam subiectivitatem internoscere neque vero ex iis locis, in quibus arctissimo tempus cum intellectu vinculo iungitur, argumentum petere, Aristotelem ad subiectivum se Kantii formalismum inclinasse. Qua de re ne quicquam dubitationis relinquatur, nonnullos hic Aristotelis locos subiiciamus: *ὅταν γὰρ αὐτοὶ μηθὲν μεταβάλλωμεν τὴν διάνοιαν, ἢ λάθωμεν μεταβάλλοντες, οὐ δοκεῖ ἡμῖν γεγονέναι ὁ χρόνος* (tum tempus *videtur* nobis non praeterire); deinde: *συνάπτουσι γὰρ τὸ πρότερον νῦν τῷ ὕστερον νῦν καὶ ἓν ποιοῦσιν, ἐξαιροῦντες διὰ τὴν ἀναισθησίαν τὸ μεταξὺ* (est ergo intermedium aliquod tempus, quod nostram fugit *perceptionem*); tum: *οὕτω καὶ ἐπεὶ λανθάνει ἕτερον ὄν, οὐ δοκεῖ εἶναι τὸ μεταξὺ χρόνος. εἰ δὴ τὸ μὴ οἴεσθαι εἶναι χρόνον τότε συμβαίνει ἡμῖν* (*τὸ credere*, tempus non esse, non *τὸ* revera non esse penes nos est), *ὅταν μὴ ὁρίσωμεν μηδεμίαν μεταβολήν, ἀλλ᾽ ἐν ἑνὶ καὶ ἀδιαιρέτῳ φαίνηται ἡ ψυχὴ μένειν* (*videtur* solummodo), *ὅταν δὲ αἰσθώμεθα καὶ ὁρίσωμεν, τότε φαμὲν γεγονέναι χρόνον* (tum *dicimus* tempus fieri), *φανερὸν ὅτι οὐκ ἔστιν ἄνευ κινήσεως καὶ μεταβολῆς ὁ χρόνος* (hinc perspicitur, nil aliud Aristotelem probaturum fuisse, quam tempus sine motu nullum esse, minime vero tempus omnino non esse sine anima). Deinde sic pergit: *ἅμα κινήσεως αἰσθανόμεθα καὶ χρόνου* (eadem est igitur motus ac temporis ratio, ita ut si ille absque intellectu est, tempus quoque obiectivam habeat, praeter mentis perceptionem, existentiam). *ὅταν μὲν οὖν ὡς ἓν τὸ νῦν αἰσθανώμεθα καὶ μὴ ἤτοι*

ὡς πρότερον καὶ ὕστερον ἐν τῇ κινήσει, ἢ ὡς τὸ αὐτὸ μὲν προτέρου δὲ καὶ ὑστέρου τινός, οὐ δοκεῖ χρόνος γεγονέναι οὐθείς, ὅτι οὐδὲ κίνησις . . . ὅταν γε χρόνος δοκῇ γενέσθαι τις, ἅμα καὶ κίνησίς τις φαίνεται γεγονέναι . . . ἀλλὰ μὴν καὶ τὸν χρόνον γε γνωρίζωμεν, ὅταν ὁρίζωμεν τὴν κίνησιν, τὸ πρότερον καὶ ὕστερον ὁρίζοντες, ubi quum dicit Aristoteles, nos comprehenso ac definito motu tempus *percipere*, de percepto tantum a mente nostra tempore agit, de tempore ipso minus. Porro haec facit verba: ἅπαν τὸ κινούμενον ἀνάγκη κινεῖσθαι ἐν χρόνῳ et φανερὸν ὅτι πᾶσα μεταβολὴ καὶ πᾶσα κίνησις ἐν χρόνῳ ἐστίν, quod qui fieri possit, si motus tum tantum in tempore est, quum ab intellectu percipitur, meam sane fugit intelligentiam. Denique, ἀδύνατον, inquit, εἶναι χρόνον ψυχῆς μὴ οὔσης· ἀλλ' ἢ τοῦτο ὅποτε ὂν ἐστιν ὁ χρόνος· οἷον εἰ ἐνδέχεται κίνησιν ἄνευ ψυχῆς εἶναι, ubi planis verbis duae temporis species secernuntur: una, quae mentis perceptione nititur; altera, quae etiam absque intellectu, motus instar, in obiectiva rerum natura exstat[82]. Quare iam exploratum est, Aristotelem obiectivum quidem tempus, tanquam subiectivi fundamentum, agnovisse, sed minus recto inter motum et tempus discrimine constituto inductum fuisse ad tempus ita definiendum, ut mente percipitur[83].

---

82) Huc pertinent ii quoque loci, in quibus metiendum esse tempus probatur, velut de gen. et corr. II, 10: διὸ καὶ οἱ χρόνοι . . . ἀριθμὸν ἔχουσι καὶ τούτῳ διωρίζονται· πάντων γάρ ἐστι τάξις καὶ πᾶς χρόνος μετρεῖται περιόδῳ πλὴν οὐ τῇ αὐτῇ πάντες . . . τοῖς μὲν γὰρ ἐνιαυτός κτλ.

83) c. 11: τότε φαμὲν γεγονέναι χρόνον, ὅταν τοῦ προτέρου καὶ ὑστέρου ἐν τῇ κινήσει αἴσθησιν λάβωμεν. ὁρίζομεν δὲ τῷ ἄλλο καὶ ἄλλο ὑπολαβεῖν αὐτὰ καὶ μεταξύ τι αὐτῶν ἕτερον· ὅταν γὰρ τὰ ἄκρα ἕτερα τοῦ μέσου νοήσωμεν καὶ δύο εἴπῃ ἡ ψυχὴ τὰ νῦν τὸ μὲν πρότερον τὸ δὲ ὕστερον, τότε καὶ τοῦτο φαμὲν εἶναι χρόνον· τὸ γὰρ ὁριζόμενον τῷ νῦν χρόνος εἶναι δοκεῖ καὶ ὑποκείσθω . . . . . ὅταν τὸ πρότερον καὶ ὕστερον αἰσθανώμεθα, τότε λέγομεν χρόνον, et c. 14: πρότερον δὲ μὴ οὔσης τῆς ψυχῆς εἴη ἂν ὁ χρόνος ἢ οὔ, ἀπορήσειεν ἄν τις κτλ.

3) Quibus expeditis reliquum est, ut singula nonnulla haud praetermittamus:

a) Quum tempus sit numerus motus, motus autem varii admodum generis, quaeritur, utrum sit tempus cuiusvis aequaliter, an unius potissimum motus numerus. Aristoteles quidem, quamquam prima cap. 14. parte contendit, unum esse aequaliter tempus cuilibet motus generi [84], tamen postrema parte mirum in modum secum pugnat. Dicit enim tempus eminenti quadam ratione numerum esse mensuramque eius, qui in orbem flectitur, motus [85]. Sed praeterquam quod in his diserte [86]) contra se dicat, tempus eodem sensu numerus est, quam numerus in universum sumptus, quo ad omnes pariter concretas res pertinente, fieri non potest, quin tempus quoque, qua numerus, cunctos aequaliter et comple-

---

84) *ἀπορήσειε δ' ἄν τις καὶ ποίας κινήσεως ὁ χρόνος ἀριθμὸς ἢ ὁποιασοῦν· καὶ γὰρ γίνεται ἐν χρόνῳ καὶ φθείρεται καὶ αὔξάνεται καὶ ἀλλοιοῦται ἐν χρόνῳ καὶ φέρεται.... διὸ κινήσεως ἁπλῶς ἀριθμός ἐστι συνεχοῦς, ἀλλ' οὐ τινός.*

85) *ἐπεὶ δ' ἐστὶ φορὰ καὶ ταύτης ἡ κύκλῳ, ἀριθμεῖται δ' ἕκαστον ἑνί τινι συγγενεῖ . . . οὕτω καὶ ὁ χρόνος χρόνῳ τινὶ ὡρισμένῳ . . εἰ οὖν τὸ πρῶτον μέτρον πάντων τῶν συγγενῶν ἡ κυκλοφορία ἡ ὁμαλὴς μέτρον μάλιστα, ὅτι ὁ ἀριθμὸς ταύτης γνωριμώτατος. ἀλλοίωσις μὲν οὖν οὐδὲ αὔξησις οὐδὲ γένεσις οὐκ εἰσὶν ὁμαλεῖς· φορὰ δ' ἐστί, διὸ καὶ δοκεῖ ὁ χρόνος εἶναι ἡ τῆς σφαίρας κίνησις, ὅτι ταύτῃ μετροῦνται αἱ ἄλλαι κινήσεις καὶ ὁ χρόνος ταύτῃ τῇ κινήσει. διὰ δὲ τοῦτο καὶ τὸ εἰωθὸς λέγεσθαι συμβαίνει· φασὶ γὰρ κύκλον εἶναι τὰ ἀνθρώπινα πράγματα . . . τοῦτο δὲ ὅτι ταῦτα πάντα τῷ χρόνῳ κρίνεται καὶ λαμβάνει τελευτὴν καὶ ἀρχὴν ὡςπερανεὶ κατά τινα περίοδον· καὶ γὰρ ὁ χρόνος αὐτὸς εἶναι δοκεῖ κύκλος τις. τοῦτο δὲ πάλιν δοκεῖ διότι τοιαύτης φορᾶς ἐστὶ μέτρον καὶ μετρεῖται, αὐτὸς ὑπὸ τοιαύτης· ὥστε τό λέγειν εἶναι τὰ γινόμενα τῶν πραγμάτων κύκλον, τὸ λέγειν ἐστὶ τοῦ χρόνου εἶναί τινα κύκλον· τοῦτο δὲ ὅτι μετρεῖται τῇ κυκλοφορίᾳ κτλ.* cf. Problem. XVIII, 3.

86) cap. 10, *ὁ δὲ χρόνος οὐχ ὥρισται χρόνῳ οὔτε τῷ ποσός τις εἶναι οὔτε τῷ ποιός.*

ctatur et numeret motus. Haec et similis quaeque repugnantia facile removebitur, si modo dignoscas inter tempus obiective acceptum et tempus, quatenus mente percipitur. Nam per se tempus certam habere mensuram seu numerum non potest, quum vero animo percipitur, hic est, qui aliquam mensuram requirit.

b) Porro licet, ut motus, ita tempus [87]) aeternum sit (ἀεὶ ὄν), tamen hoc neque in aeternorum (τῶν ἀεὶ ὄντων) numero referendum, neque amplecti aeterna dicitur, quanam de causa, equidem non video.

c) Denique ut Aristoteles in statuendo communis ac singularis loci discrimine claudicat, ita similes temporis quoque rationes adeo confundit, ut certas, quae recurrant, periodos mente fixas temporis per se proprias esse censeat. Est enim in cap. 12: ὡς ἐνδέχεται κίνησιν εἶναι τὴν αὐτὴν καὶ μίαν πάλιν καὶ πάλιν, οὕτω καὶ χρόνον ἐνδέχεται, οἷον ἐνιαυτὸν ἢ ἔαρ ἢ μετόπωρον.

Sed satis est nunc dictum, ut intelligatur, quot et quam graves hic quoque quaestiones existant ab Aristotele neglectae. Quid enim, si tempus aeque ac spatium nihil est nisi forma quaedam substantiae, si (id quod negat Aristoteles c. 10.) plures sunt totque temporis modi, quot substantiae genera?

Quamobrem iam nostrum erit, veram spatii temporisque naturam explorare eorumque notiones e diversis substantiae generibus evolvere.

---

87) c. 12, cf. VIII, 9: ἀεί τε κίνησις ἦν καὶ ἔσται τὸν ἅπαντα χρόνον.

PARS ALTERA.

CAPUT III.

§. 6.

Prolegomena.

Nescio an cuiusquam veritatis firmius conscientiae testimonium reperiatur, quam eius, qua animi, ut cogitet, proprium esse nobis persuadetur. Adeo enim haec suam in se ipsa habet approbationem, ut animus, sublata cogitandi indole, ipse tollatur et esse desinat utque, quod ab ipso non cogitetur, id sibi quidem existere neget. Quibus quum accedat, quod philosophiae argumentum in rerum essentiae cogitatione huiusque et determinationibus et modificationibus continetur: philosophum, quae tractanda sibi indagandaque proponit, ad cogitationem oportet revocare et tum quomodo exorta in intima animi officina, tum quemnam per conscientiae formationem nacta sint in propria sua evolvenda natura progressum, tum denique quem ad finem contendant, religiose perscrutari. In quo maxime mihi claudicare Aristoteles videtur, qui temporis spatiique notiones, quales sua cuique empirica conscientia suppeditat, comprehendit quidem, sed neque quam originem ceperint nec quomodo ad res, quae nos circumdant, referantur vel referri queant, ullis perlustret ratiociniis. Ipsi vero, ne in eundem incidamus errorem, caventes, quae experientia obtulerit quaeque „a posteriori,“ ut

aiunt, in nostra communi conscientia insint, ex immediatis [1]) tanquam mediata reddere eaque, singulis momentis ad principium aliquod primum redactis, „a priori" recognoscere studebimus. Quocirca plures eaeque gravissimae oriuntur et solutionem a philosopho postulant quaestiones, velut: unde ortum duxerint istae notiones, sine quibus nec de tempore nec de spatio ullus esse sermo potest, — quid sit porro, quod cogat mentem, notiones in conscientia comprehensas ad res circumiectas transferre, quodque ei id perficiendi facultatem praebeat, — denique quid sit, quod animo temporis et spatii extra nos translati realitatem spondeat, curque, quidquid sive animo sive naturae explicationibus constat, temporalem localemque rationem tanquam conspicuum existentiae signum exhibeat?

§. 7.

Quale sit animi tempus et spatium exponitur.

1) Nemo profecto est, quin, quotiescunque, de quibus quaeritur, notiones ad res extra se positas referat, simul semetipsum et in tempore et in loco versari fateatur. Quod quidem manifestum conscientiae nostrae effatum monet, ut, quoad licet, in intima illius quasi viscera penetremus et non solum, quam ibi reperiamus temporis ac spatii informationem, verum etiam, quem ortum ceperint, recolamus. Accedit quod sui cuique conscientia et certissimum est et firmissimum, immo unicum immediatae cognitionis principium, unde rem quamlibet, communi et vulgari perceptione comprehensam repetere et quo reducere oportet, si quidem in sua eam et veritate et cum ceteris mundi rebus connexione cognoscere vis [2]). Est haec enim sola philosopho digna ratio, quam qui

---

1) Sit venia huic et similibus usu quotidiano receptis vocibus, quae perspicuitatis causa retinendae visae sunt.

2) Idem factitandi Aristoteles, quem merito appellare patrem metaphysicae licet, plus habuit voluntatis quam vel facultatis vel integritatis. Nam intellexisse eum illius philosophandi rationis necessi-

spernit, physicum potius vel aliud quidvis appellaverim, quam metaphysicum sive summae studiosum sapientiae, cuius est rerum omnium divinarum humanarumque quum vim et naturam perspicere tum causas explorare et in uno absoluto principio conciliationem (Vermittlung) perquirere.

Quodsi nostram ipsorum, qualem ultro se praebet, conscientiam enucleamus, in duas incidimus diversae omnino naturae rationes. Quarum quidem altera, in phaenomenis posita fluxis fugacibus celerrimaque se invicem successione excipientibus, duplicem rursus prae se fert indolem; altera vero suo semper statu manens neque ullis vicissitudinibus, commutationibusve obiecta, tanquam scopulus in mari situs, everberat fluctuosum phaenomenorum aestum. Itaque iam priorem illam, quae duplicem explicat naturam, rite exponamus. Omnes enim vitae nostrae, quae cogitando atque agendo constat, species eo redeunt, ut sint aut actiones (πράξεις) aut perpessiones (πάθη). Quarum naturam indagantibus nobis facile innotescit, eas quum diversi aliquid tum commune habere h. e. partim sibi oppositas esse partim ad unum referendas utrarumque principium. Dum enim agimus, nemo est praeter nosmetipsos actionum a nobis perpetratarum causa; at impressione dum movemur, altera accedit causa, unde externi, quibus pellimur, ictus procedunt, qui, ubi animum affecerunt, vocantur perpessiones; nam patitur, percutitur feriturque animus pulsibus eiusmodi adventiciis. Quae quamquam sunt evidentissima, tamen habeo quod nonnulla proferam argumenta e ratione petita. Complures enim exstiterunt (inter eosque longe praestantissimus quum Fichtius [3]) quo-

---

tatem, e pluribus liquet eius locis, quorum in uno, ne multus sim, acquiescam, de an. III, 4: *περὶ δὲ τοῦ μορίου [τοῦ] τῆς ψυχῆς ᾧ γινώσκει τε ἡ ψυχὴ καὶ φρονεῖ (εἴτε χωριστοῦ ὄντος εἴτε καὶ μὴ χωριστοῦ κατὰ μέγεθος ἀλλὰ κατὰ λόγον) σκεπτέον τίν' ἔχει διαφοράν, καὶ πῶς ποτὲ γίνεται τὸ νοεῖν.*

3) Quamquam, quae hic dico, non quoquo modo in Fichtium conveniunt, quippe qui *aliquam* animo *passionem* s. terminum (Schranke,

dammodo tum Leibnitzius), qui animum [4]) esse purum actum, puram spontaneitatem iactarunt. Quos perperam iudicasse, iam inde apparet, quod, si nihil pateretur animus, fieri non posset, ut externis impressionibus moveretur. Ecquis autem est, quin videat, tale quid oblinentem omnia conscientiae testimonia spernere, quibus neglectis nescio quid amplius verum, quid rationi congruum esse possit? Sed fac animum esse absoluta voluntate exstructum nec ullis obnoxium externis impulsionibus, nonne necessarium foret, ut, quaecunque ageret, cogitaret, possideret, liberâ essent suâ ipsius actione effecta? nonne, quae propriam constituit animi naturam, sui ipsius conscientia sive τοῦ ego cogitatio ultro deberet suaque sponte esse suscitata? Hoc autem quum conscientiae tum experientiae repugnare ut quod maxime, uberius commonstrare infra nitemur. Sed ab altera quoque parte non defuerunt, qui animum ab omni libera reactivitate s. spontaneitate [5]) destitutum esse fingerent. Verum, ut taceam con-

---

Beschränkung) asciscat, quem tamen meram facit ab ipso sibi absoluto animo impositam circumscriptionem.

4) Semel hic notasse sufficiat, sub *animo* intelligi spirituale, quod vocant, ens s. principium τὸν νοῦν (vulgo intellectus, spiritus, mens, ratio aliter appellatum), quatenus est substantia, omni corporea mole vacua ideoque non confundenda cum animatis naturae subiectis, quibus anim*am* (ψυχήν) inesse profitemur, anim*um* autem tribuere, rationum hic necessario reponendarum causa, nullo modo possumus.

5) Fore ut veniam impetrem vocibus „receptivitatis, reactivitatis, spontaneitatis" adoptandis eo fidentius spero, quo et aptiores sunt ad id, quod mente complector, enuntiandum et nostris diebus universali inter philosophos usu receptiores. Hoc tantum noli credere, receptivitatem spontaneitatemve (quarum illam mutatis mutandis licet Ἀριστοτελικῶς vocare νοῦν παθητικὸν, hanc ποιητικὸν) esse reale quicquam per se subsistens, quum, si ita se res haberet, animus aut absolutum esset principium aut naturae instar sic comparatus, ut phaenomena quidem obiective realia, substantiam vero ipsis innatam atque amissam (ein- und aufgegangen), minime vero, ut ens causale, extra et post se positam exhiberet.

scientiae ea quoque de re testimonium, hoc tantum in memoriam revoco, qui ulla possit externae impressionis receptio cogitari sine animi quadam reactione? Neque enim, qui alterius mentem pellit, tum id quod voluit consecutus esse sibi videbitur, quum vel vocem emiserit vel aliud quid fecerit ad eliciendam, quam petit, attentionem accommodatum, sed, ut impressio fiat, profectam ab altero desiderabit receptionem. Si ergo nulla potest, secundum notionis vim, impressio fieri, nisi sit aliquid, quod in impulsum reagat, constat autem praeterea, magnam continuo exoriri diversissimarum impressionum copiam: exploratum est, animum nec receptivitate nec spontaneitate vacare, sed utramque continere arctissime coniunctam, ut perpessionum illam, hanc ut actionum causam.

2) Iam vero etsi differunt actiones ac perpessiones, immo oppositae sibi propter causarum efficientium diversitatem apparent (nam illae unum habent subiectum auctorem, quum hae alienae auctoritatis opem requirant), est tamen aliquid, in quo conveniunt ac sociantur. Idem est enim et quod agit et quod patitur subiectum, vel non modo quum agis, tumet ipse agendi consilium capis et exsequeris, verum etiam quum animo imprimitur aliquid tuo, idem es tu, qui impressionibus commoveris. En habes iam idem omnium animi affectionum principium, eundem fontem, eandem causam in ipsius conscientia (τῷ ego) positam. Phaenomena enim per se considerata omni adeo carent substantialitate, ut sint mera accidentia, quae quantumvis adaucta aut multiplicata nunquam tamen τοῦ νουμένου unitatem assequuntur, cuius dant solummodo testimonium. Sua igitur cuiusque ipsius conscientia est stabilita illa nec vel labefactata unquam vel commutata fluxarum manifestationum radix, quam, quisquis philosophandi resque ex principiis repetendi se studio dederit, post actiones et perpessiones ponat necesse est. Quamobrem iam consistentes, quid ad eruendas temporis spatiique notiones profecerimus, probe videamus.

3) Animi manifestationibus, quas neque revocare ad se

invicem neque alteram ab altera deducere licet, ad unum principium reductis, nostri ipsorum conscientiam sive, ut Aristotelis (de an. I, 2) utar verbis, τὸν κατὰ φρόνησιν νοῦν adepti sumus. Quod quidem ita evenit, ut *nosmet ipsos* cogitationi nostrae subiectos, eiusdem *obiectum* fecerimus, cuius nunc natura examinanda est. Partim enim, ut iam supra expositum est, e *ratione* constat h. e. e facultate pulsus recipiendi, partim e *voluntate* sive ea vi, quae libere in impulsiones reagit [6]. Quam utramque si in mutua sua relatione et efficacitate contemplamur, cognoscimus, eam manifesta prae se ferre et temporis et spatii vestigia. Quum enim haud ignoremus, ab aeternitate nos nec viribus illis praeditos nec nostri conscios fuisse, recognoscenda ratio est, qua ex indefinita (quam non potest non petere philosophus [7]) et

---

6) Duplex haec facultas iccirco vix mihi egere argumentis videtur, quod suam quisque conscientiam habet testem locupletissimam. Nam, ut linquam priorem, quis est, quin sentiat, se sic non esse comparatum, ut, naturae instar vel animatae vel inanimatae, resonet impressiones sitque vox quasi repercussa, quae ad pulsus extrinsecus allatos necessitate respondeat? Est autem duplex iniunctum proprie et reactivitati, quam *centrifugalem*, et receptivitati, quam *centripetalem* vocare animi partem haud alienum videtur, munus. Nam dum illa pariter *et* impulsum recipit et in ipsum libere impulsum reagit, haec *non solum* externis feritur impressionibus, *sed etiam* liberae reactionis ideam patitur et informationem. Nequaquam enim animi receptivitas mera est et *absoluta* perpessio, contra ea, ut viventis et pro se existentis principii revelatio *activa* quaedam perpessio est. At quaeras fortasse hoc loco, quid sit, quod certiores nos faciat, animum non solum reagendi facultate praeditum esse, sed etiam *libere* reagendi, i. e. non reactivitatem tantum, quae est ipsius quodammodo naturae propria, verum etiam spontaneitatem prodere? Tua est, hercle, tui ipsius conscientia, quae ista tibi planissime persuadet, quippe quum τὸ ego ex variis emergens affectionum mutationibus sese extollat erigatque supra principii manifestationem itaque sibi libertatem pariat, quae quum interna vi decernendi tum externa voluntatis consilium ad effectum adducendi pollet.

7) Quod ita esse pauculis hic demonstrare par est. Hominem enim non primo inde a partu mentis agitationibus moveri ipsiusve te-

subiecto et obiecto vacua conditione procedentes, existentiae nobis nostrae cognitionem peperimus. Quodsi animus nullam etiamtum sui conscientiam assecutus postulatur, idem postulatur ut ens δυνάμει ὄν, quod quamvis facultatis in se duplicis indolem et quasi materiam continens se ipsum tamen non potest in existentiam transferre [8]). Possem hic in iis immorari, quae historia praebet, documentis eorum, qui adhuc infantes per calamitosum aliquod infortunium ex humana societate eiecti aliquamdiu omni interclusi fuerunt hominum consortione ac necessitudine. Sed in teipsum me converto

---

nere conscientiam, nemo est, quin sciat. Quid est ergo, quod, accedente postea animi sui iam conscii concursu, exsuscitatur, percutitur et ad animi vitam ineundam impellitur? Num est naturae substantia, cuius, quâ corpus, homo particeps est? Quidvis potius; nam naturae cogitatio quum (ut infra pluribus enodare in animo est) inferior et diversa quin etiam contraria sit mentis cogitationi, nunquam potest ad animi dignitatem toto coelo a sua diversam provehi; ad hoc, sublata naturae et animi diversitate, non poteris non eo procedere, ut Deum inter mundumque absolutum omne discrimen tollas. Quae ipsi iam communi conscientiae repugnantia si evitare vis, nil superest, nisi ut ens statuas, quod simul cum corporis generatione divinitus creatum tamdiu in potentialitate h. e. in realis quidem sed nondum causalis principii statu persistat, quamdiu et mancâ coporis culturâ et externi impulsus defectione impediatur.

8) Hoc enim si largiaris, absolutum animus principium est nullis impressionibus obnoxium, unde sequeretur, ut non haberet, quod vel unum temporis punctum ei praestolaretur, qui ad ipsius ipsum conscientiam traduceret; sed ut essentia eius cum existentia in idem incideret tempus aeternum. Nec id mirum, quoniam si quod ens suspensum non est ab alio ad evolvendam suae naturae *vitam*, multo etiam minus, quod ad *essentiam* attinet, ex alius pendere nutu potest; contra nullis astrictum terminis quum creatum positumque non erit tum sibi conscium aeternae per se ipsum perfectae existentiae. Cuiusmodi divina prorsus indole nos homines non esse ornatos, tam aperte docet conscientia, ut, qui neget, tantum abesse appareat, ut integre iudicet, ut praeiudicatis opinionibus implicitus ad enucleandam conscientiae naturam accedat, Tullii comprobans illud effatum: „Opinioni confirmatae natura ipsa cedit!“ (Tusc. III, 1).

quaerens, semperne conscius tui fueris, annon potius ad *certum* modo *temporis initium* recolere memoriam possis, quo subito, te et imprudente et nolente (i. e. ante tuam voluntatem et absque ea), in conscientia te positum deprehenderis? Cuius rei quaenam alia esse causa potest, quam quod animo, finitae terminis naturae circumscripto, alieno opus est impulsu, quo demum excitatus reciproca voluntatis vi respondeat? Quapropter si *prius* ad reactionem sollicitatur et *post* reagit, quam impulsu se ictum sentit, apparet, *animum in prima iam essentiae ad existentiam transgressione temporalem se praestare*, quoniam receptionis reactionisque *successio* illa, salva finita animi natura, sine *ordine temporali* vel *deinceps* aliquo (einem Nacheinander) nec cogitari nec esse potest. Nam fac sublatam esse hanc successionem, quid, quaeso, valebit impulsus, ex quo reactio non pendet? Quidque obstabit, quo minus animus, omnibus liberatus finibus, sua se reagendi vel rectius agendi facultate in existentiam inducat, immo vero ullum neget esse vitae suae exordium? Eodem plane urgeri te animadvertis, quo, qui impressionis necessitatem negant, repulsos se vident.

Neque vero prima tantum animi distinctio s. ex indefinita essentia egressio tempus exhibet, sed *omnes deinceps receptivitatis et spontaneitatis incitationes actionesque in tempore fiunt.* Nullam enim animo percipimus voluptatem, dolorem, commotionem, nullam complectimur cogitationem, intentionem mentisque informationem, nisi *antea* vel externa (h. e. extrinsecus profecta) vel interna (h. e. e *sui ipsius* animi ideis exorta) impressio rationem affecerit et ad *reagendum* animum compulerit. Unde quum liqueat, nullo se explicare pacto animum posse, nisi *per facultates ordini temporali subiectas*, intelligitur, *tempus esse viventis animi* s. *animi phaenomenorum postulationem*, *esse formam existentiae* τοῦ νοῦ, τάξει [9]) *se manifestantis.*

---

9) Arist. Categ. VI: οὐδὲ τὰ τοῦ χρόνου θέσιν ἔχει . . . ἀλλὰ μᾶλλον τάξιν τινά.

4) Sed haec hactenus. Nunc dicamus de *spatii* ratione. Simulatque enim in duas animi principium distinctum est facultates, hae adeo manent immutatae, ut sint stabiles quarumcunque actionum et perpessionum vires. Dum igitur singulae animi affectiones continua fluctuatione mutantur, illae semel ex potentialitatis quasi somno excitatae non amplius aut evanescunt aut dirimi et in primariam *τοῦ δυνάμει ὄντος* conditionem retrudi possunt; sed vigent valentque *couiunctim* i. e. *altera cum altera et iuxta alteram* (nebeneinander), ita ut manifestissime *θέσις* [10]) *aliqua seu spatium in animo appareat.* Quod ut planum fiat, demonstrandum est facultatum illarum semel explicitarum neutram, dum altera ad agendum pellitur, tolli et posthac rursus suscitari. Quam rem tam luculentis nos rationibus non persuasuros tantum sed demonstraturos confidimus, ut nihil dubitationis relinquatur. Iam enim perspeximus, animum duas in se reperire facultates, quas facere non potest quin obiiciat primariae causae tanquam subiecto. Nam quum dico „*mei* sum *ego* conscius“ refero obiectum ad id, quod cogitat subiectum, quoniam *τὸ* ego est, quod se sui ipsius obiectum deprehendit. Ego sum igitur et subiectum et obiectum *simul* meae cogitationis vel (quum cogitare idem sit atque referre) relationis obiecti ad subiectum vel denique utriusque huius inter se distinctionis [11]).

---

10) Arist. de gen. et corr. I, 6: *ἔστι δὲ θέσις, οἷσπερ καὶ τόπος* et *ἐπεὶ δὲ θέσις μὲν ὅσοις καὶ τόπος ὑπάρχει κτλ.*

11) Quae ut planiora fiant, hic paucula admoneam. *Ego* enim quamvis sim et subiectum et obiectum et utriusque relatio, tamen aliud quid sum, quatenus obiectum, quam quatenus subiectum. Nam *illic τὸ* ego est apparitio duarum virium cum singulis harum positionibus, *hic* ipsum, quod apparet, causale principium. Proinde ab his duobus relatio discrepat; est enim *τὸ* ego, quatenus ego refero *τοῦ* ego phaenomena ad *τὸ* ego. Quum autem dico „*ego* sum mei conscius“, noli haec ita comprehendere, quasi simul sint *duo* in conscientia ego; sed unum idemque ego est, quod, quae ut obiecta ponit phaenomena, ad id refert, in cuius ut subiecti cogitatione versatur h. e. ad *τὸ* ego-esse.

Obiectum vero eatenus tale est, quatenus ad subiectum refertur eiusque est praedicatum, accidens, adiectivum, qualitas (*τὸ φαινόμενον*). Quae quum omnia e subiecto vel ipsa substantia (*τῷ νουμένῳ*) pendeant nec veritatem nisi in principio habeant, metaphysicum illud praedicatum [12]) tale est, quatenus, quae subiecti sunt, praedicat, ita ut subiectum nulla fruatur sine praedicatis definitione. Accidens (*συμβεβηκός*) obiectum propterea est, quod phaenomena subiecto quasi accidunt neque essentiae eius per se sunt necessaria. Iam enim exploratum habemus, suspensam esse phaenomenorum manifestationem e *fortuito* impulsu externo, quo tamen semel illato phaenomenisque ad causale relatis *τοῦ* ego principium, accidentia, quâ talis h. e. quâ fortuiti quiddam, tollitur. Nam is nunc effectus est essentialis animi status, ut sine ulla ab hoc tempore intermissione sit *receptive-spontaneus* seu in facultate impressiones recipiendi libereque reagendi positus. Iam vero animus non solum bipartitum illud obiectum ad subiectum, phaenomenorum dualismum ad essentiae simplicitatem refert, ita ut cogitatio idem simulque sit cum existentia et in utriusque mutua unitate propria animi vita consistat, sed cogitur etiam, utrique et subiecto principio et obiectae manifestationi h. e. statui definitionis praeponere indefinitionis conditionem, quae ante omnem conscientiae cogitationem sit quidem, sed potentialiter [13]) tantum, mera facultate ad causalem perveniendi existentiam praedita [14]). Quid igitur videtur? Num fingere potes, ens

---

12) Quod caveas ne logicum putes, quoniam illius praedicati ad subiectum relatio alia est, quam quae inter notionis universalia singulariaque intercedit.

13) Cf. Arist. de an. III, 4. p. 429, a. 22: *ὁ ἄρα καλούμενος τῆς ψυχῆς νοῦς (λέγω δὲ νοῦν ᾧ διανοεῖται καὶ ὑπολαμβάνει ἡ ψυχή) οὐθέν ἐστιν ἐνεργείᾳ τῶν ὄντων πρὶν νοεῖν*, et ibid. b, 30: *δυνάμει πώς ἐστι τὰ νοητὰ ὁ νοῦς, ἀλλ' ἐντελεχείᾳ οὐδὲν, πρὶν ἂν νοῇ.*

14) Indefinitum animi ens duplice laborat, ut ita dicam, negatione quum absolutae naturae tum definitionis et explicationis; illa

relicto indefinitionis statu iterum posse in potentialem retrudi ex reali conditionem, quin simul eximatur eius idea atque natura? Indefinita, sic sua quemque ratio docet, essentia tamdiu valet, quamdiu definitione eget, quam subministratam nulla potest né absoluta quidem potestas (quum ipse creator negare se nequeat) evertere, sicut nec res certa per se incerta nec praeterita rursus futura fieri nec denique reale mere reddi possibile potest [15]). Itaque indefinitum animi principium, postquam sui hic conscius factus nactusque est τοῦ ego certitudinem, mera postulatio [16]) fit.

---

quidem, quoniam, si ens absolutum ponis, fieri nequit, quin ab aeterno statim tempore absolutam cum absoluto ente existentiam ac vitam societ, hanc vero, quia nondum causale principium sed reale tantum, sub ea immanente conditione creatum, ut ex potentiali realitate ad phaenomenorum formalitatem exeat. Hoc quum evenit, et negatio indefiniti et definiti affirmatio principii simul existunt, id quod concinnam in Aristotelis verbis nactum est elocutionem: *ἔστι τὸ μὲν φθορά τις ὑπὸ τοῦ ἐναντίου, τὸ δὲ σωτηρία* (conservatio) *μᾶλλον τοῦ δυνάμει ὄντος ὑπὸ τοῦ ἐντελεχείᾳ ὄντος καὶ ὁμοίου.* Cf. de an. II, 5. p. 417. b, 2.

15) Cf. quae iam Aristoteles monet sic locutus: *Τὸ γεγονὸς οὐκ ἐνδέχεται μὴ γενέσθαι· διὸ ὀρθῶς Ἀγάθων·*

Μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται
Ἀγένητα ποιεῖν, ἅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα.

Cf. Eth. Nicomach. VI, 2.

16) Praeclara hac de re verba facit Güntherus qui in libro „die Juste-Milieu's in der deutschen Philos. gegenwärtiger Zeit“ inscripto sic loquitur (p. 37): „In der Rückwirkung erweist das Positive seine aufhebende Kraft sowohl nach Aussen auf Anderes als nach Innen auf sich selber und zwar ohne dass der Act als solcher wiederholt werden darf. In einem und demselben Acte wird ein Ende gemacht einerseits der Unbestimmtheit und Formlosigkeit des Subjekts und andrerseits der intendirten Bestimmtheit des Objekts: die Selbständigkeit des Subjekts insofern wenigstens aufzuheben, als es jener für sich zu gewinnen, sich zu unterwerfen trachtete. Kurz wir finden zwar hier eine doppelte Negation, aber nur als divergente Beziehung eines und desselben Thuns, das als solches aber kein negatives oder negirendes,

Quae quum ita sint, patet, duplicem illam rationis voluntatisque facultatem in animo sui conscio *alteram iuxta alteram* inesse *ad omnem perpetuitatem;* unde perspicuum exploratumque est, *animum exhibere quum temporis formam* i. e. *contiuuam virium agentium successionem*, *tum spatium* i. e. *localem phaenomenorum iuxta se invicem collocatorum conditionem* [17]).

5) Quum iam et temporalem et localem animum esse satis evidenter, ut mihi videtur, excussum sit, altius nos oportet in illius naturam penetrare. Prae omnibus enim dubitari nequit, quin nec spatium illud sit *materiale* propter animi ab omni corporea mole immunitatem nec tempus ob eandem rationem successio aliqua *corporalium* motuum. Ipsa autem animi indoles ac manifestatio monent, recte ut utrumque di-

---

sondern ein setzendes oder affirmatives Moment ist, weil in jenem Thun ein positives Moment von ihm selber als solchem so für sich wie für Andere Zeugniss gibt, sich darin so bewährt wie bewahrt und dasselbe im Worte „Ich“ niedergelegt hat.“

17) Operae me pretium esse facturum putavi, si in medium huc proferrem duorum philosophorum de spatio placita, nempe Christ. Aug. Crusii et Henrici Mori. Quorum ille magnam elocutus quidem est, sed non intellexit veritatem, quum haec proposuit. „Die Prinzipien oder Möglichkeiten der *Existenz* eines Dinges sind Kraft, *Zeit und Raum.* Die *Geister*, wie alles Endliche sind *räumliche* (doch *nicht ausgedehnte*) Wesen, *weil der Einwirkung fähig.*“ Morus autem: „*Omnis*, inquit, substantia *extensa* est.“ „*Omnem* tollere extensionem est rem reducere ad punctum tantum mathematicum, quod nihil amplius est, quam pura negatio s. non-entitas.“ (De Immortal. anim. Praef. Opp. Tom II. p. 280) et: „si per extensionem intelligatur partium iuxta positio, qnemadmodum fit in materia, *nego omnino spiritum hoc sensu ullatenus esse extensum.* Quodsi intelligas tantum *certam quandam* praesentiae amplitudinem, *agnosco esse extensum*“, (Append. ad Antidotum adv. Atheismum c. 10. Op. II. p. 169) et denique: „*Omnes spiritus sunt extensi;* per extensionem enim. . . intelligo . . . amplitudinem solummodo“ (Enchirid. metaph. c. 8. Op. I. p. 169). Quorum quae vera quaeque minus reeta sint, ex hactenus disputatis haud difficile est ad cognoscendum.

stinguere et dispensare studeamus. Quamobrem ut primum in indefinitam inquiramus animi conditionem, non possumus ei, ut causalitatis, ita temporis spatiique potentialitatem non tribuere. Quamquam quum hoc *potentiale animi tempus ac spatium* (*τὸν τοῦ νοῦ τόπον καὶ χρόνον κατὰ δύναμιν*: das Ansich von Raum und Zeit des Geistes) statuo, sic ea nolo intelligi, ut sint reale aliquod deinceps ac iuxta. Licet enim reale sit indefinitum animi principium *per se* spectatum, vacat hoc tamen *definita* realitate congruenterque omni et spatio et tempore definito, quae cum eius manifestatione et in virium dualitatem explicatione demum ponuntur. Iam vero evidentissime nobis demonstratum esse videtur, non modo duas animi facultates semel excitatas manere et continuo in omne inde tempus perseverare, verum etiam perpetuam hanc stabilemque permansionem tum successionis perpetuae (*τάξεως*) tum localis positionis formam prae se ferre. Cui a me *puri* s. *universalis temporis ac spatii* (*τοῦ νοῦ τόπος καὶ χρόνος κοινός*) nomen dari, eo probatum esse existimo, quod sunt abstractio universa singularum omnium mentalis temporis et spatii significationum. Hinc tandem via nobis aperta est ad eam istius temporis ac spatii dispositionem, quae est gravissima et in hac quaestione imprimis consideranda. Namque varias illas viventium [18]) animi virium manifestationes, quatenus et successionem exhibent et coexistentiam, *proprium* s. *empiricum* nuncupare *tempus et spatium* licet (*τόπον καὶ χρόνον ἴδιον* s. *πρῶτον*). Est enim animus, ubi primum sui conscientiam, quae est *κατ' ἐξοχὴν* cogitatio, amplexus est,

18) Est nimirum nec spatium nec tempus mortui quidpiam seu mera nullius vitae particeps forma, at viva viventis principii revelatio, quâ solâ constat animi et vita et motus et agitatio. In universum contra eos, qui absoluta ullam essentiam morte obrigescere posse perhibent, notaverim, in eodem eos errore versari, quam qui meram vel subiectivitatem vel obiectivitatem per se existere posse hallucinentur. Nam ut hae seorsim consideratae sunt universalis cogitatio abstracta, ita mortui quidvis nihil est, nisi formalis vitae contradictio et realitate et veritate destituta.

ea facultate exstructus, ut, quemadmodum semetipsum (τὸ ego) non explicat solum, sed etiam in perpetuum conservat, peraeque quae singula aut patitur aut agit, quippe ex ipsius principii manifestatione profecta, in conscientiae tanquam armario prehensa teneat atque conservet. Quo fit, ut in eodem sint animo variae et ideae, cogitationes speciesque mente informatae, et voluntates consiliaque ad illas pertinentia. Quamquam tenendum est, hic non tam ad sensualem memoriam, de qua infra erit disputandum, respici, quam ad perpetuas receptive-spontaneas animi revelationes. Quae quum et oppositae saepe et semper iuxta se invicem appareant, ita ut, idea sublata, ne voluntatis quidem ulla vis, ulla sententia relinquatur, quisnam est, quaeso, quin *spatii* hic esse rationem ducendam statuendamque *formam animi localem* intelligat? Quis, quin cernat in diversarum conformationum animi voluntatisque decretorum, quae ordine quodam suboriuntur, *successione* apertissimum *temporis* indicium? Eadem res mirifice comprobatur, si alias adiungimus quaestiunculas, quae quamvis non ad solum pertinentes animum, absque hoc tamen nequaquam ita, ut apparent in homine, sese manifestarent. Qui enim, ni spatium tenes animi, eam rem potes, ut par est, explicare, quod et multitudo singularum rerum sensibus perceptarum et cogitationis ac conscientiae simplicitas simul iuxtaque se invicem in animo comprehendantur? qui, quod unius eiusdemque rei conformationem mente teneas non solum quatenus constat partibus, sed etiam quatenus totum est aliquid et integrum adeo ut, quamvis unam duntaxat illarum partem contemplere, totius tamen intelligentiae expers ne ad unum quidem momentum fias? His adde quae luculentissima prodit ethica hominis agendi ratio testimonia. Ea est enim animo indoles ingenerata, ut quotiescunque ad agendum se parat, optionem sibi datam intelligat, inter duas pluresve res, quarum informationes *iuxta se invicem* in mente versantur, e libero, quo praeditus est, arbitrio eligendi et conferendi. Quae quidem optio, electio, collatio quomodo fieri atque institui possint negato animi

spatio, meam fugit et cuiusque, opinor, intelligentiam, quin aut criticismi, quem vocant, aut materialismi profunda obcaecatus sit caligine. Sed iam sufficit haec attigisse potius, quam cum pulvisculo exhausisse, quoniam, si quis omnia huc spectantia congerere vellet, prolixam opus esset cunctarum animi cogitationum ubertatem excitare. Praeterea pluribus ne opus quidem esse documentis confido, ut eluceat, animum, si localem negaveris, perpetuo adeo agitari flumine, nihil ut nec comprehendat praeter praesentes quasque affectiones nec comprehensum teneat nec denique exquirere, deliberare, perpendere seu communi cum aliis meditatione pervolvi queat. Est igitur animus per se absque corpore spectatus temporis et spatii forma vivente praeditus, quam non solum qui cum corpore sunt coniugali tanquam vinculo iuncti, sed etiam qui puri vocantur spiritus, exhibent. In quos pariter et localem et temporalem cadere rationem praeter duas essentiae apparitiones id quoque argumento est, quod quum singuli *iuxta* singulos existunt tum mutuo sese afficiunt vimque in se invicem exercent.

6) Quapropter evicta iam persuasione, animos in viribus exserendis suis et temporis prodere et spatii rationem, restat, ut ad aliam omnibus paene aetatibus vexatissimam accedamus quaestionem. Quomodo fit enim, ut ideas notionesve, si quas habemus, de tempore ac spatio conceptas ad res externas conferamus et conferendi facultate polleamus? In qua quaestione explicanda eo nituntur omnia, ut sub voce „idearum" quae subiicienda sit sententia cernatur. Verumtamen id ipsa nos conscientia edoceat. Haec enim duo et quidem diversissima habet cogitationum genera. Quarum aliae a sensibus repetendae eo pacto formantur, ut componendo et comparando, quae in singulis rebus eadem deprehendimus, a ceteris separare et animo reponere, quae diversa, reiicere ac removere [19]) studeamus. Quorum illa ut

19) „Reiicere ac removere" quum dico, non cogito de amovendis penitus abiiciendisque singulis illis visionibus; nam tanquam singulae perceptiones perbene in memoria queunt servari ac retineri.

certas fixasque, quas habent communes, rerum notas sive ut *conceptus* (Begriff) comprehensa animo tenemus. *Concepimus* enim et cogitando menti informavimus universalia, quae variis rebus eadem conveniunt, praedicamenta itaque ea ad genus speciemque communem redegimus. Sed alia prorsus totoque coelo diversa earum natura cogitationum est, quae non e sensibus neque abstrahendo, ut aiunt, sed ex ipsius animi conscientia ortum ducunt. Quae quum cogitando fiant quumque nulla cogitatio non certis quibusdam legibus adstricta sit, videndum est, quaenam sint hae leges quidque inter eas et conceptus informandi leges discriminis intercedat. Triplex praecipue est, quaé in conscientia recognoscenda eruitur, cogitandi lex et

positionis realis principii et

oppositionis subiectum inter et obiectam phaenomenorum formalitatem et

syntheseos vel utriusque ad τὸ ego (seu potius ad principium eius indefinitum) relationis. Hinc demum tota profluit, qua abundat mens, *idearum* varietas, hinc gravissimum (quo et nituntur reliquae et summa vertitur cuiuscunque intelligentiae causa) principium rationis sufficientis; hinc idea causae, virium, effectionis et effectus, identitatis, realitatis, relationis, negationis aliae permultae, quas appellare solent categorias, quaeque tantum absunt, ut universalia sint rerum praedicamenta a concretis ad formalitatem procedendo enata, ut, contraria plane phaenomenorum varietatem ad reale principium realemque causam reducendi ratione formatae, non aliunde sed ex ipso solo repetitae sint animo. Cuiusmodi quot ideae, tot normae cogitantis animi, quippe cuius nulla esse cogitatio queat, quin sit *idealis* h. e. in sui ipsius conscientia posita. Quo fit, ut, quaecunque cognoscit animus, *per* illas cognoscat ideas, utque ratione, qua se ipsum cognoverit suamque explicuerit conscientiam, alia quoque omnia metiatur sitque, prout sui scientia evasit, aut felix aut perversus rerum perscrutator. Nam fieri omnino non potest, quin animus, quum suae se quamvis relativae existentiae causam deprehenderit, quotiescunque aliam offen-

dit existentiam, cuius ad se referre causam nequeat, aliud ponat, quo illa referatur, principium. Neque enim animus in suae recognoscenda conscientiae genesi in eo acquiescit, ut obiectum comprehendat quatenus obiectum sive oppositum est cogitanti subiecto, sed simul illud per se cogitat et in propria sua indole quatenus effectum ab et in se ipso ac vera est sui ipsius manifestatio. Hinc ultro ei facultas redundat, si quae sibi aliena phaenomena oblata perceperit, ea non solum ut obiecta contemplantis suae mentis circumspiciendi, verum etiam per se spectata expendendi et ad reale referendi, unde manarint, principium. Quinetiam *non modo potest* hanc adhibere phaenomenorum quorumcunque ad principium relationem, *sed non potest omnino aliter facere.* Est enim animus sic comparatus, ut, conformata semel idea aequalis rationis inter ipsum principium et cogitationem intercedentis, nunquam amplius cogitandi munere ne ad unum quidem temporis punctum defungatur. Unde consequatur necesse est, ut animus sua illa indole eandem, quam in se ipso evolverit, cogitandi normam sine ulla temporis intermissione interrogando, investigando sciscitandoque in alia quaevis accommodet atque conferat.

His, quoad licuit, excussis iam redeamus, quid ad nostram disputatio illa quaestionem profecerit, inquirentes. Nam id erat in quaestionem vocatum, num omnino et qui possint temporis spatiique notiones ex animi conscientia acquisitae ad res extrinsecus oblatas conferri? De quibus nunc vix anceps esse iudicium potest. Notiones enim istae, quippe ad animi principium relatae indidemque repetitae ut manifestationis conditio, merito *idearum* dignitatem obtinent. Ex quo intelligitur, ut principium rationis sufficientis, ita quae arctissime cum hoc coniuncta apparent et sine quibus nec esse illud nec comprehendi potest, temporis ac spatii notiones animum secundum eam, qua valent, et indolem et necessitatem sub legis vincula coniicere, idque adeo ut omnia iis tanquam cogitandi normis metiatur et, ubicunque temporis vel spatii animadvertat vestigia, qualia sint et quor-

sum pertineant, exquirat. Ubinam autem istiusmodi deteget vestigia? Ubicunque phaenomena apparent s. existentia entis alicuius. Qnocirca et conscientia est et experientia, per quas animus, quoties phaenomena offendit a suis nihil diversa, temporalis localisque animi indicia cognoscit; quoties vero diversam a sua existentiam percipit, huius temporis ac spatii quaenam sit ratio, anquirit.

§. 8.

Quale sit naturae tempus et spatium exponitur.

1) Quicunque in suam penetrat conscientiam, non solum τοῦ ego ideam deprehendit, sed cognoscit praeterea alteram speciem cogitationum, quas ad se ut causam referre nequit, sed ad externam reducere impressionem coactus est. Quae quum sic fiant, ut res aliqua externa sensui subiecti imprimatur, hoc autem impulsum *percipiat* atque in *apperceptione*, quam vocant reagat, manifestum est, duplice subiectum munere fungi receptivitatis et reactivitatis. Estque his illud cum animi phaenomenis commune, quod *deinceps* fiunt et *simul iuxtaque se invicem* positae sunt; diversum hoc, quod

1) nec relatio eadem est, quoniam subiectum sensa partim ad obiecta extrinsecus oblata partim ad sensuum tanquam repressionem referat;

2) neque reactio libera et in subiecti potestate posita, quia, ut impulsus, ita repulsus semper comparatus est, qui *necessario* illum sequitur.

Et tamen sensuales subiecti perceptiones quum sint cogitationes h. e. referendo effectae, conscientiam necesse est aliquam constituant. Perquiramus igitur, quaenam sit indoles huius conscientiae. Nam *subiectum* quum ad extra refert sensuum affectionem, sibi repraesentat intuetnrque rem sensibus oblatam h. e. *obiectum;* at quamquam referens cogitat, semet ipsum tamen non cogitat, sed aliud quid ante et extra se positum, meram nimirum rei visionem. Cuiusmodi visa tantum absunt, ut semel percepta, cessante impulsione,

evanescant, ut potius propria fiant subiecti adeoque sensibus informentur, ut sui imaginem ac speciem relinquant. Iam vero, quae in *immediatis*, ut ita dicam, perceptionibus referendi ratio adhibetur [20], eam subiectum ne in *mediatis* quidem intermittere potest, quae e visionibus externis oriundae, pulsionibus finitis, in *memoria* remanserunt. Nam quum propter magnam perceptionum et multitudinem et varietatem fieri nequeat, quin aeque diversae rerum perceptarum imagines appareant, necessaria est lex *individui*, reiectis imparibus, paria cum paribus consociandi. Fac enim te in horto esse aliquo variis arboribus consito, nonne saepius referendo, ea cogitationi informabis, quae vel cunctis arboribus, vel singulis earum speciebus sunt *communia?* Quod si ita est, iam perspicitur, *processum* fieri aliquem cogitandi sive *abstrahendi*, ut, secretis singulis imaginum ac specierum discrepantiis, communior semper imago sive *schema* effingatur, cui, quaecunque aliquam cum eo similitudinem ferant, subiiciantur (subsumirt werden). In qua conferendi et subiiciendi facultate nemo profecto non videt apertum iudicii primordium, quamquam psychica cogitatio, in obiectorum intuitione confixa, imaginem superare nequit. Animans enim suas sive singulas sive universales imagines, h. e. obiecta sua, iterum non potest cogitationis suae obiectum facere: unde sequitur, ut cogitationes a concretis obiectis ita abscindere nequeat, ut, posito omni imaginis vestigio, purus *conceptus* s. *notio* rei (Begriff), de qua supra iam disputatum a nobis est (§. 7. n. 6) prodeat. Namque haec ubi existit, liberum est animi principium, quod, perpetrata sui ipsius distinctione, omnia etiam alia cogitata et phaenomena in suis comprehendere formis hasque componendo, disiungendo, permutando ita adhibere potest, ut prorsus nova eveniat altiorque cogitandi ratio. Igitur animus quum schemata ad notionis dignitatem perducit, adeo naturae inservit suamque

---

20) inter perceptam nimirum rem, perceptionem ipsam ac subiectum quod percipit.

operam praebet, ut ab eius norma cogitandi nihil discedat. Est vero eadem notionis, quae schematis ratio, ita ut ne ista quidem ullam habeat veritatem et intelligentiam, nisi quatenus ad naturae res tanquam ad substratum et ὑποκείμενον referatur. Quot igitur rerum genera, species, classes exstant, totidem conceptus gradus sint necesse est, quorum summus (τὸ τί s. res in universum, Etwas) omnia simul naturae phaenomena complectitur estque formalis quodammodo realis varietatis unitas. Hinc apparet, naturam in duas divisam esse partes *obiectivae realitatis* et *subiectivae formalitatis*, quae adeo altera ab altera pendeant, ut sine utraque manca sit naturae vita et existentia neque omnibus suis numeris absoluta. Quae ut evidentiora fiant, conceptus qualis sit, exploremus. Compositus est enim e dualitate subiecti et praedicati, singularis et universalis, formae et rei contentae (Form und Inhalt) i. e. iudicium in se continet, quoniam in subiectum variaque huic accommodata praedicamenta discedit. Et tamen tantum abest ut, quamquam quasi lex et norma naturae, per se queat manifestationum causam perquirere, ut sit mera *phaenomenorum ad phaenomena relatio* h. e. formalis et subiectivae apparitionis ad obiectivam materialemque existentiam.

2) Animus autem e singulari, qua praeditus est, vi, phaenomena quaelibet ad principium referendi, hic quoque naturae succurrit duplicemque eius phaenomenorum dualitatem ad principii unitatem reducere conatur. Quomodo autem hoc? Num quid est naturae principium praeter illa phaenomena? Et si ita est, quidni natura, sicut animus, e phaenomenorum fluctibus esurgens sui conscia fit? Quas quaestiones hoc loco strictim tantum pertingere licet. Duplicem naturae esse manifestationem vidimus,

a) *subiectivam*, quae *formali* constat et *universalitate*[21]) et *conceptus perpetratione;* et

21) Est enim externae naturae materialis informatio interna s. cogitatio realis universalitatis s. ad intus resumtio extra se emanatae substantiae (Verinnerung der Veräusserung).

b) *obiectivam*, quae congruenter appellatur *realis* quum *universalitas* [22]) tum *conceptus formatio* [23]).

Dein in utraque hac phaenomenorum regione valet *antithesis singularis et universalis*. Quae oppositio quum in nulla rerum specie sive organica sive anorganica non persistat, sed ubique in sua contrarietate appareat, certum est, eam naturae substantiae inhaerere et esse substantialem. Unde sequitur substantiam tanquam unum principium non amplius existere, sed in duplicem bipartitam esse oppositionem. Quapropter si animi est, cuícuimodi phaenomena ad unam principalem causam referre, immanente cogitationis vi eo perducitur, ut substantiali sese manifestantis naturae dualitati unum principium praeponat. Posito autem hoc, simul et discrimen statutum inter naturae definitam existentiam et indefinitam essentiam sive inter actualem manifestationem meramque huius potentialitatem et actus positus est aliquis, per quem substantia (h. e. id quod substat) naturae in duas divisa fuit sibi invicem, quia contrarie oppositas, ideo *externas* et *materiales* partes.

3) Quibus discussis, calculum subducere par est, ut constet, quantum hactenus ad evincendum *naturae tempus et spatium* profecerimus.

a) Et primum quidem e materiali naturae partitione infinitum quoddam *iuxta et extra se invicem* perspicuum est. Sibimet enim ipsi natura per substantialem illam divisionem *externa alienaque* fit, ut, quibusvis ad alia relatis, natura universa e partibus solummodo constet [24]), h. e. totum par-

---

22) h. e. multitudo realium rerum, quae ex universalis in singulas manifestationes explicatione profluxit.

23) Unde consequitur, totam naturae vitam nihil aliud esse, quam conceptus κατ' ἐξοχὴν effectionem, ut natura ipsa nil nisi conceptus per se est.

24) Ita tamen ut dici possit, unamquamque rursus partem totum in se continere, quippe quum essentialem naturae contrarietatem exhibeat.

tium constituat, quae se invicem excludentes *altera iuxta et extra alteram* [25]) iaceant sintque sibi invicem termini ac fines.

b) Deinde dubium non est, quin naturae et principium et vita *initium ceperint* neque ab aeterno exstiterint. Cuius rei gravissimum documentum praebet relativitas et circumscriptio naturae. Nam quum nulla eius pars pro se consistat sed in alia quaeque terminum suum atque agendi et facultatem et ansam habeat, nihil profecto naturâ magis remotum ab infinitae s. absolutae substantiae dignitate angustioribusque obrutum finibus est. Ad hoc natura, in conditionem existentiae translata, non statim ab initio omnibus numeris perfecta exsistebat, sed paulatim gradatimque a simplicissimis primordiis profecta sese evolvit, ut tandem in animante, (per quod si non substantiam, huius tamen apparitionem comprehenderet) ac plus etiam in homine, adiuvante huius animo, finem suum assequeretur. Quae quidem gradatio sensimque se explicans phaenomenorum evolutio tam aperta prae se ferunt *deinceps alicuius et ordinis* vestigia, ut *temporalis naturae forma* nullam amplius dubitationem admittat. Postremo loco hoc tacendum non est, quod natura rebus singulis et multitudine, individuis et communitate, (aus Einheit und Vielheit, Einzelnem und Mannichfaltigem) constat, quorum haec quum semper maneat, illa *continuo elabuntur et pereunt* (zu Grunde gehen), — iterum *temporis* apertissimum documentum.

c) Quum porro naturae existentia *duplex* sit, obiectiva nimirum et subiectiva, in utramque cadat localis illa ac temporalis vitae forma necesse est. Quocirca ut in obiectiva phaenomenorum parte *et materiale spatium* tribus dimensionibus praeditum s. extensum, *et tempus* s. ordo *materialium* motuum et commutationum apparet, ita subiectivitatis naturae proprium est *et formale spatium*, quod imagines variaque schemata in *memoriae* recessu iuxta se invicem posita exhibet, *et tempus formale* s. *ordo ac processus* relationum abstractionumque subiecti.

---

25) cf. Simplic. in Categ. φ, f. 1, b: τὸ κατὰ τόπον χωρίς.

d) Denique quod ad distributionem huius spatii et temporis attinet, de *potentialitate* eatenus tantum disserere licet, quoad revelatae substantiae indefinitionis praeponenda conditio est, etiamsi non habemus, quod eam ante naturae vitam per aliquod tempus exstitisse credamus. Multo aptius in naturam cadit distinctio *puri* temporis et spatii (si nimirum duplices ordine iuxtaque se invicem agentes naturae vires per se contemplaris) et *empirici* (quatenus singulas virium obiectivae subiectivaeque naturae manifestationes respicimus earumque spatii et temporis rationem ducimus).

§. 9.

De naturae animique diversitate et in homine conciliatione.

Postquam et animi et naturae indolem vitamque exposuimus, superest, ut primum quid inter utrumque differat, deinde num et quonam pacto conciliati sint pervestigemus. Quarum quaestionum priorem sic expediemus, ut brevem utriusque comparationem instituamus. Namque:

Animus quum vitam explicat suam, in phaenomenorum duplicitate non perdit unitatem realis principii, sed hanc integram *servat retinetque.*

Itaque *sui ipsius* tanquam realis et causalis principii *conscientiam* (per *mediatam cognitionem*) assequitur, ita ut cogitatio eius in eruendis ponendisque *ideis* et *causis rerum* vertatur.

Animus cogitat, simulatque ad vitam excitatur (simultaneitas identitasque cogitationis et exi-

Natura quum in existentiae conditione ponitur, unius atque indivisi principii tantam *facit iacturam*, ut nisi in substantiali phaenomenorum antithesi illud non amplius existat.

Haec est causa, cur *externae* tantum *manifestationis suae* i. e. *phaenomenorum* (per *immediatam intuitionem*, imaginationem, Einbildung) *conscia* fiat curque cogitatio naturae in formandis *conceptibus* h. e. in *abstrahendo* versetur. Natura cogitare nequit nisi prius per multas variasque evolu-

stentiae) neque unquam agit nisi cogitatio praecesserit.

Unde sequitur, ut animus *libera voluntate* praeditus sit. Inter animi praeterea subiectum et obiectum hoc interest, quod illud ipso reali principio, hoc autem phaenomenis constat, ita ut animus sit *per se* subiectum (Subjekt für sich). Denique in animo exhibetur realis unitas et formalis dualitas.

tiones totam obiectivae manifestationis regionem explicuerit h. e. ante existit et agit quam cogitat.

Quamobcausam *necessitatis legi* obnoxia est. Ad hoc naturae et subiecta et obiecta partes phaenomenorum constituunt estque eius subiectivitas nihil per se subsistens sed *complexus omnium individuorum sensualium.*

In natura unitatem cernimus formalem, realem vero dualitatem.

Unde quum liqueat, animi existentiam ab existentia naturae differre, efficitur, ut perinde *tempus et spatium* sint *utrique diversum*, quippe quae essentiales utriusque manifestationis formas esse cognoverimus. Etenim quum animi tempus et spatium formae sint realis receptive-spontaneis viribus sese manifestantis principii, naturae eadem propria sunt ut essentiales quum obiectivae (materialis) tum subiectivae (sensualis) manifestationis formae et quidem substantialis manifestationis, cuius in duplicem regionem unum naturae principium transiit periitque. Quapropter quoniam animi naturaeque tam modos existentiae, quam principia esse diversa, immo sibi opposita constat, quaeritur, siquidem nulla potest antithesis disiuncta remanere [26]), ubinam utriusque illius substantiae conciliatio reperiatur. Nec hoc, mehercle, inventu difficile est. Nosmet enim ipsi conscientiam habemus locu-

26) Ad haec Ciceronis adhibere verba licet, qui in Timaei c. IV. sic loquitur: „Omnia autem duo ad cohaerendum tertium aliquid requirunt et quasi nodum vinculumque desiderant. Sed vinculorum id est aptissimum atque pulcherrimum, quod ex se atque de his, quae adstringit, quam maxime unum efficit.“

pletissimam istiusmodi coniunctionis testem. *Homo* nimirum est, qui ex animo et naturae individuo (corpore) compositus duo haec conciliat principia eorumque *organicam synthesin* constituit. Nam licet animus ac natura (qualitative) sibi opposita sint, absolute tamen inter se non differunt, sed in cogitatione, ut quae, quantumvis diversa, in utrumque cadat, et facultatem copulationis et vinculum habent. Est igitur *conscientia,* qua synthesis nititur. Unde perspicuum fit, coniunctionem substantialem non esse, sed tantum *formalem,* ita ut contrariae in homine naturae minime confundantur, sed altera ab alterius vita adeo pendeant, ut non modo mutua saepe fortunae communione, verum etiam mirabili, quam vocant, communicatione idiomatum utantur. Natura enim, auctore animo, et conceptum et sui ipsius conscientiam s. ideam obtinet; animus autem, praeter generale, quod e principiorum oppositione redundat, acutioris sui cognitionis distinctionisque emolumentum, quum τοῦ ego cogitationem in conceptus speciem redigit tum *phantasiam* lucratur, praeclaram illam idearum divitias cum imaginibus naturae sociandi indolem, quae hominem facit *artificem* (Künstler).

Restat, ut quod *in homine* sit *tempus et spatium,* examinemus. Et primum quidem manifestum est, quoniam syntheseos cardo in conscientia sive formali naturae animique manifestatione vertitur, obiectivam naturae partem, nempe *corpus ipsum, materiale et tempus et spatium* retinere. Quaeritur hoc tantum, ecqua mutatio appareat in hominis conscientia, quae quamquam e duabus conscientiis composita se tamen nonnisi ut unam hypostatice coniunctam noscit. Nec profecto fieri potest, quin utraque conscientiae pars per idiomatum illam communicationem aliquatenus permutetur vel potius aliquid lucri faciat. Sic imaginum schematumque complexus in totidem conceptus extollitur, qui *in memoria iuxta se invicem positi ordine* et efficiuntur et ad iudicandum concludendumque adhibentur [27];

---

27) Huc etiam pertinet *recordandi* vis (Erinnerung) sive facultas perceptiones in memoria repositas libere revocandi; cf. Aristot. Hist.

ab altera parte animi ideae *in phantasia* imaginis vestem induunt constanterque *ordine temporali* comparantur, disponuntur, consociantur, separantur. Quae quidem duplex spatii temporisque ratio ob conscientiae nexum et unitatem adeo conciliatur et una fit, ut altera alteri serviat sitque arctissimum inter utramque commercium. Tandem non est praetermittendum, et naturam in homine consciam fieri sui temporis ac spatii, et animum adiuvante natura eo pervenire, ut utriusque *temporis et spatii communem notionem* effingat.

§. 10.

Dei existentia huiusque formae.

Animus, ut dictum a nobis supra est, sui conscius fit i. e. ex indefinita in definitam conditionem deducitur *alio auctore.* Quo fit, ut conscientiae suae *relationis* cogitatio inhaereat sive ut se *relativum, non absolutum neque ens a se* esse sciat. Simul vero quum se *esse* animus affirmet, *absolutum* esse *neget,* facere non potest, quin, *repetita negatione, ens absolutum,* quod *per se* et *a se* sit, revera esse cogitet. Non potest enim animus absoluti entis *realitatem* negare, ne sui ipsius realitatem, prorsus pendentem ex illa, perneget atque tollat. Quamobrem quoniam revera est ens absolutum (ens a se, ἁπλῶς, Sein schlechtweg), quaeritur, quid et quomodo sit. In natura situm esse nequit propter apertam huius, de qua uberius supra disceptatum est, finitam indolem et relativitatem. Nec plus probabilitatis ea habet sententia, quae absolutum ens tertium quoddam esse vult, cuius natura animusque phaenomena sint. Nam praeterquam quod ens absolutum finitis se manifestare phaenomenis nequit, cognitum habemus, utrumque illum per se iam esse realem substantiam eamque relativam, quae absolutam sui causam po-

---

anim. I, 9: *βουλευτικὸν δὲ μόνον ἄνθρωπός ἐστι τῶν ζώων. καὶ μνήμης μὲν καὶ διδαχῆς πολλὰ κοινωνεῖ· ἀναμιμνήσκεσθαι δὲ οὐδὲν ἄλλο δύναται πλὴν ἄνθρωπος.*

stulet non emanentem sed *creantem.* Si autem *creatricem* animus *substantiam absolutam* cogitat, est haec *Deus personalis* s. *sui ipsius conscientia praeditus.* Itaque iam gravissima, in qua cardo huius capitis vertitur, quaestio suboritur, quaenam sit Dei vita vel sui ipsius manifestatio. *Absolutae* fert substantiae natura, ut existentiam (conscientiam) suam sibi ipsi debeat. Unde sequitur, Deum nunquam indefinitum fuisse, sed ab omni aeternitate adeo in *definita per se existentia* esse versatum, ut haec cum absoluta essentia prorsus conveniat. Quae si tenemus, difficile non erit, absolutae existentiae modum indicare. Constat inter nos, entis cuiusvis manifestationem in evolvendo principio consistere h. e. in positione (Setzung) obiecti, per quod subiectum sui conscium fiat. Quae quidem lex ut circumscripte ad mundi substantias pertinet, sic *absoluta* ratione in Dei existentiam quadrat, quae ideo in *absoluta obiecti positione* consistat necesse est. Hoc *obiectum* ex absoluta Dei indole ita necessario comparata est, ut neque partibus constet neque meris formis, quippe quae relativitatis sint, sed *eadem*, *qua subiectum*, *una et absoluta substantia* perfruatur. Nam nisi sic statuas, non habes profecto *absolutam* Dei ipsius manifestationem i. e. immanentem emanationem, qua τὸ εἶναι Dei penitus absorptum est. Iam vero quia actus, quo Deus semet ipsum per absolutam emanationem ante se ponit, nihil aliud est, quam mera ἀντίθεσις s. oppositio subiecti et obiecti, necesse est, ut utriusque absolutam *aequalitatem (identitatem)* altera processus pars confirmet, qua, emanante simul et subiecto et obiecto, ἀντιθέσεως σύνθεσις efficiatur eadem rursus, quam utrumque illud, *absoluta substantia* pollens. Hisce tribus momentis Dei ad intra manifestatio et vita continetur, ita ut sui ipsius conscius sit tam *unius*, quod ad *absolutam substantiam*, quam *triplicis*, quod ad *formam* [28])

28) Hinc facile perspici potest, quid inter absolutam substantiam et relativum mundum discriminis intersit. Illa enim quum sit una substantia sub triplici forma, hic triplicem exhibet substantiam cum una

attinet. Quae quum ita sint, apparet, Dei absolutam et substantialem conscientiam in *immediata suae ipsius substantiae intuitione* versari ita quidem, ut unusquisque e tribus illis factoribus (Faktoren, Lebensmomenten des absoluten Daseins) absolutam suam in duobus aliis naturam intueatur; quatenus autem se quisque ab altero tertioque formali cogitatione internoscat suique conscius sit respectu et relatione alius utriusque, *formalis Dei conscientia* s. *tres absolutae personae* apparent.

Quibus expositis, id agendum nobis est, ut absolutae existentiae tempus et spatium consideremus. Manifestum est enim, in absoluta vita et *processum* fieri aliquem et *plures iuxta se invicem* personas existere (coëxistere, ut aiunt). Iam vero ut Dei substantia absoluta est, ita *processus ille* et *coëxistentia* necesse est *absolutam praebeant speciem*; sub qua ille *aeternitatis* (Ewigkeit), haec *immensitatis* (Unermesslichkeit) nomine appellari solet. Sunt ergo in Deo tempus et spatium *absolutae* absoluti sese manifestantis principii *formae* s. *modi existentiae*, quos qui negat, non potest non multis se difficultatibus implicare. Etenim si omnino nulla est obiecti a subiecto et identitatis ab utroque illo aeterna quasi dependentia, qui potest absoluta Dei unitas servari, tribus nimirum absolutis personis a se invicem non pendentibus? et si porro coëxistentiam pernegas, quomodo, quaeso, triplicem entis absoluti manifestationem obtinebis, reiecta triplici totius absolutae substantiae positione?

Est igitur in absoluta substantia, et *deinceps* quoddam (nacheinander) et *iuxta se invicem* (nebeneinander) s. τάξις et θέσις aliqua, quarum tamen utraque *ab animi naturaeque spatio ac tempore tantum differt, quantum absoluta substantia a relativis vel finitis principiis* [29]. Postremum abunde e superiore

---

relativitatis forma coniunctam, e quibus intelligitur, mundum esse absoluti entis contrapositionem.

29) Quamobrem cum mundi principiis comparatus iure Deus illocalis et intemporalis dicitur, quippe cuius tempus et spatium tanquam absolutae existentiae formae nostram omnino fugiant intelligentiam et omni ex parte comprehensionem.

liquet disputatione, in Deo nullam nec potentialis nec empirici temporis et spatii posse rationem haberi, siquidem ut existentia, ita huius formae sine ulla aut intermissione aut mutatione absolutam ab aeternitate perfectionem prae se ferant.

CAPUT IV.

§. 11.

Definitio temporis et spatii proponitur.

Si quaecunque hactenus proposui, comprehendo, haec fere sunt:

1) animus quum sui conscius fit i. e. principii sui manifestationem prodit, hoc efficere non potest nisi sub essentialibus temporis et spatii formis. Quas non modo in prima ad conscientiam evocatione exhibet, verum etiam per omnia posthac existentiae suae momenta. Nam si tempus tollis, torpet animus et in indefinitae retruditur conditionis soporem, id quod, suscitata semel conscientia, fieri nequit; sin spatium negas, ad id omne animi negotium recidit, ut sempiterno flumine affectiones recipiat receptasque statim dimittat, unde nullus inter homines opinionum consensus fieri posset.

2) Deinde natura in omnibus principii manifestationibus tam perspicua temporalis localisque rationis documenta edit, ut ea hic monuisse sufficiat.

3) Postremum in absoluto quoque ente ut substantiae manifestationem, ita quandam temporis et spatii rationem deprehendimus.

Quibus in memoriam revocatis, nostrum nunc est quaerere, *quid tandem sit tempus et spatium.* Inest enim animo cum individuo naturae coniuncto facultas e pluribus rebus communem eruendi notionem, velut si τοῦ esse notionem e

diversis, quae sunt, substantiis sive finitis sive absolutis elicit. Qua lege usus animus hanc sibi fingit temporis spatiique notionem: *Tempus et spatium sunt essentiales qualiscunque existentiae formae, conditio sine qua nullum se principium manifestare potest.* Cui definitioni nonnulla addere placet.

a) Quum unaquaeque existentia e tempore *et* spatio pendeat, dubium non est, quin, ubicunque tempus, ibi spatium sit, et vice versa, ita ut, si quis animo tempus, naturae solum spatium assignat, is diversitatem utriusque principii funditus evertat et unum ponat principium, cuius natura atque animus phaenomena sint. Quod quidem principium ultro statim in Deum cadat necesse est, cuius tum vita et manifestatio in mundo versantur. Idem inde sequitur, quod animus si per se localis non est, quamdiu in homine versatur, corporis quasi sufflamine quin ad summam sapientiae virtutisque altitudinem evolet, inhibetur, dimissus autem e carcere simul relativitatis vinculis relaxabitur eoque, unde emanavit, i. e. ad absolutum πᾶν liberatus redibit.

b) Tempus et spatium, ut supra exposuimus, *cuiusvis* existentiae formas constituunt, unde consequens est, ut pro diversitate existentiae illae quoque formae differant. Est igitur tam temporis et spatii quam essentiae duplex ratio, ita ut *finitum tempus et spatium* ab *absolutis eisdem formis* proinde separari oporteat ac relativas substantias ab absoluta. Cui divisioni propter duplicem entis relativi rationem alia accedit. Nam quum sint duo intra relativitatis orbem principia, *animi et naturae*, fieri non potest, quin pro substantiarum discrepantia tempus quoque et spatium diversa sint.

§. 12.

Aristotelis de spatio et tempore doctrina cum nostra confertur.

Proposita iam nostra de tempore et spatio sententia, hoc tantum superest, ut de quibus Aristoteles nobiscum idem sentiat et de quibus dissentiat, probe conferamus.

I. Incipiamus igitur a *spatio.* Hoc enim Aristoteles recte dicit, neque corpus esse neque huius receptaculum, tantidemque abhorrere a causa rerum, quantum a materia huiusve aliqua parte; denique in eo nihil versari nisi quod sit motus particeps. Nam quoad proximum attinet, constat inter nos, spatium nisi cum tempore, quod motu nititur, coniunctum nusquam reperiri.

Sunt autem plura, in quibus ab Aristotele non possumus non discedere:

1) Et primum quidem nec definitio loci, qui sit extremum s. immobilis continentis corporis terminus, nec sententia, locum esse tribus, ut corpora, dimensionibus praeditum, cum nostra doctrina convenit. Nulla est enim spatium superficies, quippe quae sine materiali subsistentia cogitari vix queat, neque ita comparatum, ut corpus quidem in eo versetur, huius autem partes minus; sed constat essentiae forma, quae cuiusvis entis propria, corporis quantulaecunque non desit particulae. Alterum illud, quod spatium est tribus dimensionibus praeditum, in omne spatii genus non quadrat, sed in naturae tantum locum materialem, utpote qui ipsa corporum extensione sive porrectione continetur, non quasi praeter locum corpora triplicem illam dimensionem haberent.

2) Deinde, ut mera forma et conditio existentiae, spatium maxime alienum est ab ulla vi corpora continendi. Vis enim est aliqua principii manifestatio, et tamen spatium nihil est nisi forma manifestationis.

3) Neque minus a nostra abhorret Aristotelis sententia, spatium seiungi a rebus posse, quae tum in loco sint, quum alio corpore finiantur. Quid enim? Estne spatium substantiale quiddam per se existens, etiamsi nulla corporum ratio habeatur? Minime vero: nam forma quaevis et modus omnem perdit vim et significationem, simulatque a re segregatur. Quamquam quum hoc dico, nolim infitiari, hominem a substantia quasi subtrahere posse spatii *notionem*, quae tamen nil nisi communis illius cogitatio, nequaquam vero

illud ipsum est. Iam vero localis rei natura propterea a continente alio corpore non pendet, quod naturae spatium est quiddam cum qualibet parte materiae tanquam huius virtus necessario coniunctum. Unde patet, rem non tam *in* spatio versari, quam indutam esse spatii forma, qua ne coelum quidem s. sphaera *universa* destituta sit.

4) Denique, ut mittam superi inferique differentias, quid de loci discrimine communis et proprii iudicandum sit, haud diutius ambigitur. Nam si spatium est forma existentiae, sequitur ut ubique in eadem substantia idem sit, sive minorem respicias sive maiorem eius partem. Negandum quidem non est, hominem spatium posse sub varias distribuendi et disponendi leges reducere velut si locum tempusve certis terminis, distantiis, magnitudinibus metitur.

Hactenus de spatio; restat ut

II. de *tempore* dicamus. Cui non minus quam spatio haud nulla ab Aristotele tribuuntur, quibus omnino assentimur, velut tempus nec motum nec sine motu [30] esse neque in substantia consistere aliqua [31].

---

30) Cf. Lucret. de rer. nat. I, 460:

Tempus item per se non est, sed rebus ab ipsis
Consequitur sensus transactum quid sit in aevo,
Tum quae res instet, quid porro deinde sequatur:
Nec per se quemquam tempus sentire fatendum est
Semotum ab rerum motu placidaque quiete.

31) Recte etiam in eo Aristoteles ex sua doctrina iudicavit, quod tempus sine animo omnino esse negavit. Nam si tempus est motus numerus, intelligitur arctissime illud connexum esse cum ea facultate, cui numerandi vis attribuitur. Est haec autem animus: numerare enim nihil est nisi uni aliud unum vel plura una adiicere. Natura vero propter substantialem, in quam discessit, duplicitatem nullo modo potest unitatis ideam comprehendere; sed est haec solius animi propria, quippe qui ex formalibus phaenomenis esurgens principii sui *unitatem* receperit. Quo fit ut animus in quem solum lex numerandi cadit, ubi tempus numero constat, gravissimi momenti sit ad eius existentiam; cf.

Contra, ut ad Aristotelis a nostra sententia dissensiones accedamus,

1) erravit quum tempus in motus numero seu mensura [32] positum esse voluit. Tempus enim forma est vitae sive manifestationis atque explicationis substantiae; et quidem quatenus illa in successione vel ordine (nacheinander) versatur. Aristoteles autem ipsum non definivit tempus, sed temporis per animum perceptionem, praesertim quod addit, tum tempus fieri, quum aliquam in motu continuationem et varia quasi momenta *percipiamus*

2) Nec porro magis cum nostra conspirant doctrina, quae de temporis vi afficiendi et interficiendi Aristoteles iactavit. Nam qui forma potest ulla vi pollere, quum haec, ut supra indicavimus, ipsius sit manifestantis principii? Nec plus fidei id habet, quod in tempore omnia numero contineri statuit.

3) Quodsi denique Aristoteles vult tempus infinitum esse nec initium nec finem capiens, dilucide patet, eum relativum s. finitum tempus pro infinito habuisse [33].

Probl. XXX, 6: *διὰ τί ἀνθρώπῳ πιστέον μᾶλλον ἢ ἄλλῳ ζώῳ; πότερον . . . ὅτι ἀριθμεῖν μόνον ἐπίσταται τῶν ἄλλων ζώων; ἢ ὅτι θεοὺς νομίζει μόνον· ἢ ὅτι μιμητικώτατον; μανθάνειν γὰρ δύναται διὰ τοῦτο.*

32) Simile quid Lockius statuit: „Time is the measure of duration."

33) Nihilominus aeternitas Aristoteli plus est quam omnium temporum complexio, quemadmodum ex his cognoscitur locis: „*καὶ γὰρ τοῦτο τοὔνομα (αἰών) θείως ἔφθεγκται παρὰ τῶν ἀρχαίων. τὸ γὰρ τέλος τὸ περιέχον τὸν τῆς ἑκάστου ζωῆς χρόνον, οὗ μηθὲν ἔξω κατὰ φύσιν, αἰὼν ἑκάστου κέκληται. κατὰ τὸν αὐτὸν δὲ λόγον καὶ τὸ τοῦ παντὸς τοῦ οὐρανοῦ τέλος καὶ τὸ τὸν πάντα χρόνον καὶ τὴν ἀπειρίαν περιέχον τέλος αἰών ἐστιν, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ εἶναι εἰληφὼς τὴν ἐπωνυμίαν, ἀθάνατος καὶ θεός*" (de coel. I, 9): „*φαμὲν δὲ τὸν θεὸν εἶναι ζῶον ἀΐδιον ἄριστον, ὥστε ζωὴ καὶ αἰὼν συνεχὴς καὶ ἀΐδιος ὑπάρχει τῷ θεῷ.*" (Met. Λ, 7); cf. Cic. de natur. Deor. I,

Quibus expeditis, pauca adhuc restant diiudicanda et quidem ad utrumque, spatium et tempus, pertinentia. Aristoteles enim modo substantiam iis aliquam tribuere modo in subiectiva animi perceptione (velut tempus) ponere videtur. Quicunque illud assumunt, valde errant quoniam tempus et spatium *formae* tantummodo existentiae sunt; qui autem hoc statuunt nec utrumque quicquam esse volunt praeter mentis subiectivam formam et informationem, non meminerunt, formas illas tam essentiales esse et substantiae proprias, ut sine iis haec omnino existere nequeat. Nullam habet offensionem, si quis opponat, a nobis tempus non posse teneri. Nam qui ita confutare nos student, nesciunt, id ipsum esse temporis proprium, ut sit successio, continuum deinceps (nacheinander), quod si teneri posset, statim desineret id esse quod est.

Denique priusquam finem faciamus capitis et libelli, liceat perpauca dicere de infinite dividua, quam permulti ponunt, temporis et spatii natura. Quid enim est dividuum? Animus certe ad hoc genus non pertinet; utpote qui simplex (μόνας) est ac principii unitatem in evolvenda conscientia servat. Sed vertendus iam animus est ad naturam. Cuius principium quum in duas divisum sit substantiales partes, ita ut ne tantilla quidem particula materia huiusque oppositione careat, evidens est, naturam infinitas in se partes continere ideoque esse in infinitum dividuam. Quaeritur ergo, num tempus quoque et spatium individuam naturam exhibeant? Nihil minus: tempus enim et spatium in ipsa non consistunt, quae infinite dividua est, naturae substantia, sed in eius

---

c. 9: „Fuit quaedam ab infinito tempore *aeternitas*, *quam nulla temporum circumscriptio metiebatur*, spatio tamen, qualis ea fuerit, intelligi non potest, quod ne in cogitationem quidem cadit, ut fuerit tempus aliquod, nullum quum tempus esset“ (h. e. ut saecula etc. numerari possint ubi mundus non fuerit, cuius conversione illa saecula, anni etc. definiantur).

forma tantum, quae per se nullam omnino admittit partitionem. Etenim quantumvis dividas rem corpoream, unaquaeque tamen particula *eisdem* praedita erit temporis et spatii formis, quam tota res et universa tandem natura.